

in quibus dicitur quibus voluit
in brachio confitentur peccata
in me. et oculis ac manibus in
sunt. et in quibus terrena
sunt. in omni iniqua. et pe
in officia. vel quicquid ad
in terram pernet. gratia te cunctis
in omnino. in quibus multa
in officia. in de celo gratiam
in quibus dicitur de tempore

propter eorum iniqua
delecto superbia
et carnis in illis opere de
quibus fideliam in iperantia
pietatis indulget in
et beato cum dicitur con
sore tuo atque pontifia
sire in tribus benedictio
effectum. P.
festorum. in unibus in

XVII, 103.

re tuo. p̄ hec pie deuo
officia adcelestem
transcendam. P. Post
om̄ps̄ d̄s̄ ut dñe.
n̄cedente beato theo
& marē tuo. ut que ore

meda matutina in
nubis. & quasi lumen
indiebus suis luget.
sol resurget. sic eff
intemplo dñi. Quab
effulgens inter nebu

115

am̄. p̄
ca

bia uel
m̄


ā

l

III



Epitome 0.2
EPI T O M E
BREVIS ET UTILIS
PRÆCIPVÆ DOCTRINÆ, QVÆ
in Locis Theologicis Domi-
ni Philippi Melanthonis de singu-
lis Articulis traditur.



6. 2.
38

VVITEBERGAE.

1562.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

CLARISSIMO VI-
RO SAPIENTIA ET VIR-
tute præstanti, Domino Francisco à
Nauman seniori, Præsidi in Schiuelbeim
Nouæ Marchiæ oppido, & Consiliario
Illustrissimi Principis ac Domini, D. Io-
hannis Marchionis Brandebur-
gici &c. Socero suo
obseruando.



RAVISSIME
præcipit Deus Exod.
13. Lex mea semper
in ore tuo sit, & quasi
signum in manu tua
et monumentum ante
oculos tuos, eamq; fi-
lijs tuis & filiabus narrabis &c. Ex quo
manifestum est, maius & sanctius officij
um pñ gubernatoris & Patrisfamilias
non esse hoc ipso, de quo apud Moisen
Deus loquitur, ut uidelicet subditos edis-
ctis, bonis ordinationibus et exemplo ad
pietatem cogat, & liberos, quos ueluti
ingens bonum & dulcissimum thesau-
rum à Deo accepit, uel ipse iuxta præ-
scriptum

A ij

scriptum

scriptum uerbi diuini à teneris unguiculis informet, uel ab alijs eisdem diligentissimè informari curet, quemadmodum hac de causa Scholæ Christianæ à maioribus nostris institutæ & apertæ sunt.

Etsi enim hæc momentanea uita nostra aliarum quoq; artium adminiculo fulcitur, Eloquentia nempe, linguarum & historiarum cognitione, ac suauissima doctrina de regendis moribus, In primis etiam peritia et usu dijudicandi & aliud ex alio ratiocinandi, una cum numerandi scientia, & naturæ legumq; studiosissima peruestigatione, quarum artium fundamenta in Scholis iaciuntur: Tamen nisi pietas accedat, eximia illa Dei dona & humanæ uitæ ornamenta atq; subsidia, quæ commemorauimus, manca et mutila sunt. Cuius rei Paulus Timotheum salubriter monet, inquiens: γυμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἔστιν ὠφέλιμος, ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμος ἔστιν, ἐπαγγελίας ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλούσης, Ad quam diuinam sententiam sapientissimus Tragicus Sophocles

Sophocles accedit, in fine Philoctetes, sed
suo loco, ut Ethnicus, non Paulina gra-
uitate, honestissimè tamen:

ἢ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς
ἢ ἄρ' ἕως, ἢ ἄρ' θάνατον, οὐκ ἀπόλλυται.

Cum itaq; & mihi olim necessitas in-
cumberet erudiendi iuuentutem in triui-
alibus Scholis, inter alia officia ad hanc
palestram necessaria, præcipuum esse
dixi adsiduam, et fidelem curam instil-
landi elementa Pietatis teneris et rudibus
animis. Hoc ipso instituto hæc qualis-
cunq; syluula ante octennium à me con-
fecta est, quam cum misissem dijudican-
dam Reuerendo uiro foelicis memoriæ
Domino Philippo Melanthoni, rescri-
bebat ille, se probare hanc opellam & da-
turum operam, ut quam primum excu-
datur, immutato tantum & aucto pri-
mo loco de Deo, & de tribus personis
Diuinitatis.

Sed cum Philippum præceptorem
æterna memoria dignum, crebræ occupa-

A iij pationes

pationes frequens impedirent, Nolui
ego amplius sollicitando & urgendo, ei
alioqui infinitorum negotiorum mole
tunc temporis presso, negocium faceſſe
re. Fertur tamen, cum poſtremo de-
cumberet ad Typographum dixiſſe, Si
hoc morbo leuaretur Dei beneficio,
ſe nullum alium laborem ſuſcepturum
ante, quam huic ſyluulæ ſupremam ma-
num impoſuiſſet. Verum poſt eius obi-
tum toti Reipublicæ literariæ & Eccle-
ſiæ ſimul lugubrem, attamen ſibi ipſi pi-
um & foelicem, Dominus Doctor Pau-
lus Crellius Epitomen illam à Typogra-
pho uiuente Philippo totam fere excu-
ſam, pertexere iuſſus, me ignorante eam
in lucem edidit, perſuaſus ſimul à Typo-
grapho, cui longo iam tempore non
ſcripſeram, uita me functum eſſe. Nec
eſt mirum id ab alijs forſan Typogra-
phum percepiſſe, cum in hiſce turbis &
uoluntatum diſtractione, me quaſi intra
priuatos parietes continuerim, ac raro
etiam uel amicos & notos ſcripto aliquo
compellârim, non Timonis Athenienſis

τὸ μιμνησκόμενος imitatione, sed considera-
tione tenuitatis meæ, & ut iniqua quo-
rundam iudicia deuitarem, memor illius
Ouidiani: Crede mihi, bene qui latuit,
benè uixit &c.

In hunc libellum hoc modo editum
cum ex inopinato incidissem 24. die
Nouembris, deprehendebam in eo non
pauca errata Typographica, ac in Scho-
lis multa à me exilius consignata esse ui-
debam, quàm ut æquo etiam lectori sa-
tisfacere possint.

Quare nunc tandem libellum recog-
nouit horis succisuius unius mensis spa-
cio, fretus bona conscientia, me nihil ali-
ud quæsiuisse aut quærere quàm ut pu-
erili ætati uiam aliquo modo monstra-
rem attentè legendi atq; euoluendi salu-
berrimum opus locorum Theologico-
rum Philippi, quod diuinus uir Luthe-
rus sæpius probauit, & candida posteris
tas perpetuò probatura est. Sicut enim
in omnibus Philippi scriptis summa uti-
lissimarum præceptionum eruditè, suc-
cincte, breuiter & accommodatè, com-
prehen-

A iij

prehen-

prehenditur, Ita quoque sinceræ Religionis integrum corpus in hoc opere complexus est, de quo uerè illud dici potest.

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.
Aurea, perpetua semper dignissima uita.*

Tuæ uerò paternæ Humanitati hanc opellam dedicare denuo libuit, Siquidem usque ad annum quadragesimum ætatis meæ, inter alia dona, quæ Deo accepta refero, hoc magni momenti esse statuo, quod filiam tuam in matrimonium mihi collocâris, cum in oppido Crofsa Scholæ præessem, Mihi inquam, nato ad fluuium Nabim in oppido superioris Bauariæ Palatinatus Saliceto, quod Philippus græco nomine, ut solebat τῆς ἰτέας (unde adhuc nomen Iteano mihi reliquum est) dignabatur, sæpeque illius oppidi meminerat ob tenue officium, quod Erhardus Mayer frater meus piæ memoriæ tum ibi consul, & alij ex Senatu uiri literati in eum reuerenter contulerant, cum anno 41. Augustam Tiberij

Tiberij ad Colloquium iturus ab auriga
improuido curru excussus brachium lux
xasset. Non autem dubito quin hanc
meam farraginem pro tua in me pater-
na beneuolentia boni consulturus sis,
quem non tantum Patris & Soceri no-
mine reuerenter complector & colo, ue-
rum etiam consideratione singularis in
te pietatis & uitae pie, temperanter, so-
briè, castè, & beneficè, Deo dante, ad
73 ætatis tuæ annum exactæ. Quod
uero superest, oro æternum Patrem Do-
mini nostri Iesu Christi, ut in hac confu-
sione & perturbatione rerum, quam
sancti Prophetæ ultimam mundi æta-
tem inuasuram esse prædixerunt, sibi re-
liquias et Semen aliquod in humano ge-
nere reseruet, utq; pios Magistratus eo-
rundemq; ditiones tueatur, in quibus in-
corrupta uox cœlestis doctrinæ sonat, ac
hostium consilia molitionesq; euertat, Et
tandem omnes adhærentes doctrinæ Fis-
lij sui corroboret atq; auxilio et operati-
one Spiritus sancti ex naufragio huius
ærumnosæ et plenæ difficultatis uitæ col-

A v

ligat,

ligat, reficiat, et salutari migratione ex
hac lachrimarum ualle ad tranquillum
coelestis patriæ portum perducatur, Amen
Amen. Data in festo Michaelis quo
Ecclesia gratias Deo agit pro ex-
cubijs & custodia castorum
Angelorum, Anno

1562.

Iohannes Mayer Iteanus
M. Pastor Ecclesiæ
Cotbusianæ.



Ornatissimis

ORNATISSIMIS VIRIS,
sapientia, pietate, doctrina & uirtute
præstantibus, dominis consulibus &
Senatoribus uetustæ et inclytæ ur̄
bis Iſslebiæ, Dominis suis re
uerenter colendis

S. D.



VOD IN SYMBO
lo profite mur, Credo
esse Ecclesiam san
ctam catholicam, id et
cogitemus sæpe, et as
sensu firmo atq; indu
bitato uerissimum es
se statuamus & amplectamur, Ac ut eru
ditissimus Nazianzeni uersus monet,
ζητῶν ἡμῶν κύριον ὅπως μόνον αἴνον ἀλύξω.
quæ & ubi sit Ecclesia sancta catholica
quæramus, Et nos in eam includamus, Et
filium Dei dominum nostrum Iesum
Christum, crucifixum pro nobis & re
suscitatum oremus, ut in hac cura quæ
rendæ Ecclesiæ mentes nostras Spîritu
suo sancto gubernet, ne uel aberremus,
uel

uel deficiamus; in tantis confusionibus à
coetu illo, qui uere est sancta catholica
Dei Ecclesia. Nam extra hanc salutis
& uitæ æternæ spem nullam esse, non du-
bium est.

Sciamus autem uoce Euangelij colligi
æternam Ecclesiam & non aliter, Et esse
hanc ubicunq; uox Euangelij sonat in-
corrupta, & ubi sunt aliqui coetus eam
docentes & discentes. Ad hos ergo coe-
tus nos adiungamus, Et in his efficacem
esse filium Dei, non dubitemus, sicut
scriptum est, Euangelium potentia Dei
est, ad salutem omni credenti. Nec de-
terreamur à docendo & discendo, seu
uanis promissionibus Enthusiatarum,
seu stolidis conuicijs quorumcunq; fana-
ticorum, qui à ministerio uerbi mentes
abducunt, Et expectare ac sperare homi-
nes illuminationes, seu adflatus diuinos
sine ministerio, sine uoce & cogitatione
doctrinæ iubent, Imo execremur tales ut
 $\pi\epsilon\lambda\phi\omicron\mu\lambda\upsilon\tau\epsilon\varsigma$, Et præstigias quibus inuol-
uunt mentes semel à uerbo abductas,
prudenter caueamus.

Cumq;

Cumq; uelit Deus ut sonet in Ecclesia doctrina per Prophetas & Apostolos scripta, amemus studia eius, & Deo gratias agamus, quod se immensa bonitate patefecit, Non aspernemur filium Dei, oratorem ac legatum proferentem Euangelium ex sinu æterni patris, Et simul petamus, ut ipse sit efficax sua uoce, & confirmet quod in nobis operatus est.

Pertinet autem ad curam recte & foeliciter docendi et discendi hæc quoq; sapientia, ut summam doctrinæ integram quanta potest fieri, breuitate ac perspicuitate animo complectamur ac circumferamus, quæ de omnibus articulis doctrinæ cœlestis in momenta singula nos commonefaciat, ac præmuniat, ne quibusuis erroribus fanaticorum aut præstigiatorum temere assentiamur, Et ut Paulus inquit, Quouis doctrinæ uento circumferamur in nequitia hominum, et ueteratoria ad insidiosè fallendum astutia.

Semper igitur eruditi in Ecclesia tales doctrinæ summas collegerunt, tanquam
methodos

methodos ordinem ostendentes mēbro-
rum in scriptis Prophetiis et Apostoli-
cis, Et quidem Symbola hoc consilio
primum condita sunt, ut summa doctri-
næ in mentes includi posset. Postea pau-
lo longiores & uberiores summæ scriptæ
sunt, ut olim a Methodio, Damasceno,
Petro Lombardo & alijs. Sed nemo om-
nium, qui uel olim, uel nostro tempore
hac in re laborarunt, doctrinæ integræ
corpus foeliciorē & magis perspicua me-
thodo collegit, quam uir Reuerendus et
immortali honore & laude dignissimus,
dominus Philippus Melanthon foelicis-
simæ memoriæ, in libro cui titulum fecit
Locorum Theologicorum. Is doctrinæ
optimæ ac purissimæ thesaurus cum ab
eruditis et bonis omnino necessarius Ec-
clesijs & scholis iudicaretur, Et uideretur
tamen prolixior, quam qui teneræ ætati
proponi et enarrari integre in scholis tri-
uialibus posset, multi priuatim & publi-
ce præcipua & potissima doctrinæ capi-
ta excerpserunt, & in quæstiones breues
redegerunt. Quorum studia cernens
Author,

Author, ipse etiam in libro cui titulum
Examiniis tribuit, præcipuos doctrinæ
Christianæ locos breuius & dilucidius
exponere coepit, qui liber, ut perpetuo
in scholis maneat, toto pectore optan-
dum & à Deo petendum est. Institue-
rat autem ante scriptum & editum Exa-
men Philippi similem syluulam, seu Epi-
tomen locorum Theologicorum uir
quidam eruditus & doctus in Lusatia,
quam cum iudicandam exhibuisset do-
mino Philippo, dedit tunc temporis
mandata Typographo ut æditionem ei-
us syluulæ appararet, seq; additurum
promisit que in loco de Deo, et de tribus
Personis Paulo disertius exponi uellet,
Inchoauit ergo & absoluit potissimam
operis huius partem Typographus, Sed
perpetuæ, & infinitæ occupationes Phi-
lippi non permiserunt, ut quod promise-
rat uiro optimo Authori, & Typogra-
pho, perficere posset. Nunc & ipso &
Authore uita functo, ego iussus sum in-
stitutam hanc operam pertexere, Etsi
autem scio modum esse oportere talium
compen-

compendiorum, & malim ipsa Philippi
scripta legi & euolui integra, quæ et ner-
uosissima sunt, & doctrina saluberrima
abundant. Tamen cum & Philippum
foelicissimæ memoriæ & eos uiros, quo-
rum authoritatem merito facio maximi,
uiderem probasse et probare libelli huius
operam ac syluulam, repugnare ijs nolui
qui ut æditionem adiuuarem sæpe à me
contenderunt. Quæ omnia etsi tenuia et
infantilia sunt, sicut & infantibus uni-
uersa illa opera instituitur, tamen spero
bonos omnes legentes hæc cognituros
ac testaturos sua sponte, eiusmodi ea fu-
isse & esse, quæ uirorum talium iudicio
indigna non fuerint, quæq; operam le-
gentis fructu non contemnendo com-
pensare possint.

Vestro autem nomini uiri ornatissimi
inscribere Epitomen hanc uolui, ut &
erga uos omnes & singulos, Et erga pa-
triam dilectam obseruantiam meam hoc
qualicumq; grati animi argumento testa-
rer, Nam & me puerum in patria eodem
propemodum quæstionum compendio,
magno

magno cum fructu studiorum meorum
à uiro clarissimo, Domino Magistro
Andrea Kegelio beatæ memoriæ, ad le-
ctiōnem locorum Philippi, et prima pie-
tatis initia, inuitatum & assuefactum es-
se memini. Cui cum uiderem similimam
esse hanc Epitomen, Et consensu erudi-
tissimo lætatus sum, Et initia studiorum
meorum mecum recensens abducere ani-
mum à cognitione uestri & patriæ non
potui, Quæ ut nascentem me fouit pri-
mum, & postea erudit, Ita syluulam
hanc testem apud uos esse uolui, & ob-
seruantia ac gratitudinis meæ erga patri-
am, & doctrine quam infans istic didice-
rim, & quodammodo cum lacte mater-
no imbiberim, Quamq; Deo iuuante ad
extremum uitæ meæ spiritum sonabo ac
retinebo incorruptam. Et ut in uestra
quoq; Ecclesia & schola seruetur, et ma-
neat toto Deum pectore oro. A uobis
etiã reuerenter peto, ut inscriptionem
hanc benigne eoq; animo accipiatis, quo
à me alumno uestro facta est, Pro qua
re omnia ego officia & studia mea uo-

B

bis

bis & patriæ defero. Et oro filium Dei
Dominum nostrum Iesum Christum,
ut clementer uos seruet, gubernet ac
protegat, A M E N.

Data VVitebergæ die Laurentij
Anni Millesimi, Quingentesimi, Sexa-
gesimi primi, quo ante annos 1489
templum Ierosolymorum a militibus
Titi Vespasiani incensum
& exustum est.

Paulus Crellius,
Theologiæ Doctor.



PRIMVS

PRIMVS LOCVS DE DEO.

Quis est finis hominis ?

Ideo conditus est homo, & ideo redemptus est,
ut Deum cognoscat, inuocet, celebret, eiq; obediat
& gratias agat.

Estne aliqua cognitio Dei in hac
naturæ corruptione ?

Est aliqua. Nam mentes humane naturaliter
nouerunt esse Deum, et præcipere obedientiam iuxta
ta discrimen honestorum & turpium impressum
mentibus, & puniri diuinitus atrociam atrociam
bus supplicijs in hac uita, multa & illustria testimo-
nia ostendunt, Sed tamen hæc ipsa noticia Dei mul-
tipliciter impeditur, & horribili dubitatione cruci-
antur animi, cum uident pariter bonos & malos op-
primi in gentibus calamitatibus.

Estne hæc noticia naturalis de Deo
sufficiens ad salutem ?

Nequaquam. Nam etsi mens humana utcunq; ag-
noscit Deum punire fontes, tamen de reconciliatione
nihil nouit, quinimo in magna et tristi caligine ua-
gantur animi, querentes an sit Deus? An sit pro-
uidentia? Et quæ sit uoluntas Dei. Postea cum in-

B ij

gruunt

gruunt poena, aut disputant homines eas casu acci-
dere, aut mirantur, cur Deus hanc infirmam natu-
ram tantis miserijs oneret.

Quæ est ergo uera Dei noticia ?

Quæ oritur ex reuelatione quæ diuinitus facta
est. Nam Deus inde usq; ab initio post conditum
genus humanum, & post conditam Ecclesiam duo-
bus sese modis semper patefecit, Primum sua uoce,
qua non solum legem, sed & promissionem recon-
ciliationis promulgauit. Deinde addidit ingentia
miracula, ad quæ alligauit mentes hominum, ut sta-
tuerent hunc esse Deum æternum, qui se hac uoce et
huiusmodi testimonijs patefecerat.

Recita aliquot testimonia di-
uinæ patefactionis ?

1
2
3
4
5
Maximè illustria hæc sunt, 1. Seruatio Noë &
filiorum eius in diluuiio. 2. Deletio Sodomorum. 3.
Eductio populi Israel ex Aegypto. 4. Et multe resu-
scitationes mortuorum. 5. Deniq; ipsius Filij missio
& exhibitio, quæ & numero plurima & splendore
admiranda opera continet.

Quis est usus horum testimoniorum ?

Præcipuus finis est, ut monstrent discrimen inter
ueram & falsam inuocationem.

Ostende

Ostende discrimen ueræ &
falsæ inuocationis?

Præcipuè duabus inter se quæstionibus differunt,
Quæstione de essentia Dei, & de uoluntate Dei.
Quod est erratum de essentia
Dei ueri?

Turci, Iudæi, Ethnici & similes, etsi dicunt se in-
uocare unum Deum, conditorem cœli & terræ, ta-
men à uero Deo aberrant, quia negant hunc esse
Deum, qui misit Filium mediatorem, Non igitur rea-
tè inuocant, est enim æterna et immota regula Ioh.
5. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.
Ac uult Deus in Filio se conspici, iuxta illud, Qui
uidet me, uidet & Patrem meum, &c.

Quod est de uoluntate Dei erratum?

Est & hoc erratum graue & perniciosum, Iudæi
ac Turci promissiones Dei de Christo ignorant, &
negant hunc Filium esse mediatorem, ideò manent in
perpetua dubitatione, nec possunt statuere se recipi
aut exaudiri, Quia non inuocant filium Dei, de quo
sonat uox æterni Patris: Hic est Filius meus dilectus,
in quo mihi complacitum est, HVNC AUDITE,
Ideo fugiunt Deum, et ruunt uel in contemptum
Dei, uel in æternas desperationes & blasphemias.

Quæ est ergo sententia Ecclesiæ
de uera inuocatione Dei?

B iij

Ecclesiæ

1
2
Ecclesia Dei affirmat hunc esse Deū rerum con-
ditorem, qui se patefecit misso filio, et dato Euange-
lio, & ceteris testimonijs ingentibus, quæ recensentur
in historia Prophetica & Euangelica. Ita pri-
mum de essentia Dei iudicat, non ex humanis ima-
ginationibus, Sed ex uerbo Dei certis testimonijs
tradito. Deinde de uoluntate Dei scit filium Dei esse
mediatorem constitutum mirabili & inenarrabili
consilio Dei, & recipi homines gratis, accedentes
ad Deum huius mediatoris fiducia.

Recita ergo definitiones Dei:

Plato huiusmodi ponit definitionem. DEVS est
mens eterna, causa boni in natura.

Declara uerba huius definitionis.

Mens eterna significat essentiam spirituales, in-
telligentem, aliam et distinctam à creaturis omnibus,
immortalem et nullis obnoxiam passionibus aut mu-
tationibus quæ est causa boni in natura, id est, ue-
rax, bona, iusta, omnipotens, conditrix omnium re-
rum bonarum, & totius ordinis in natura, & hu-
manæ nature, ad certum ordinem, id est, ad cer-
tam obedientiam.

Quid in hac definitione desideratur?

Imperfecta est, quia nondum ita describit Deum,
ut se patefecit ipse, ideo requirenda est illustrior et
plenior descriptio.

Recita

Recita illustrem et perfectam
Dei descriptionem :

*Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna,
uerax, bona, pura, iusta, misericors, liberrima, im-
mense potentiae et sapientiae, alia et distincta à cre-
aturis omnibus, iudex & uindex scelerum, Et est pa-
ter aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno
genuit, & Filius imago patris coaeterna, et Spiritus
sanctus procedens à patre & filio, sicut patefacta
est diuinitas certo uerbo et testimonijs diuinis, quod
Pater aeternus cum Filio & Spiritu sancto condide-
rit & seruet coelum & terram, et omnes creaturas.
Et in genere humano condito ad imaginem suam et
certam obedientiam, elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea
haec una & uera diuinitas, patefacta certis testimo-
nijs, & per uerbum traditum Prophetis & Apo-
stolis, agnoscat, inuocetur & colatur, iuxta uer-
bum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes
cultus, qui fingunt alios Deos, & haec uera diuini-
tas in uita aeterna celebretur.*

Quot sunt membra huius
definitionis ?

*Praecipua sunt haec tria. Primum, Quae sit essen-
tia Dei. Secundo, Quot sint tres Personae conditri-
ces omnium rerum. Tertio, Quod hic Deus sibi ele-
gerit Ecclesiam in genere humano, cui se per uer-
bum diuinitus traditum patefecerit.*

B iiij

Explicat

Explica primum membrum
definitionis :

De Dei essentia iudicandum est ex diuina patefa-
ctione. Primum autem Caput Genesis, Testatur
Deum esse essentiam intelligentem. Ait enim, Di-
xit Deus, Constat autem dicere esse intelligentis es-
sentia, non brutæ. Et esse bonam essentiam, puram,
iustam, & liberrimæ uoluntatis, testatur creatio
hominis, cui ad imaginem diuinam condito, impres-
sit Deus noticias, quæ præcipiunt bona, iusta, ordi-
nata, & addidit libertatem uoluntatis. Præterea
æternitatem, & omnipotentiam Dei monstrat cre-
atio, quæ ex nihilo condidit omnia.

Explica alterum membrum :

1 Personæ tres eodem Capite monstrantur. Pater
2 dicens genuit uerbum, quod est imago æterni Patris
3 Et de Spiritu sancto dicitur, Spiritus Domini fere-
batur, super aquas.

Hoc testimonium obscurius est,
recita aliquod illustrius :

1 In nouo Testamento clarissimè patefactæ sunt tres
Personæ, ut in Baptismo Christi Pater inquit: Hic est
2 filius meus dilectus, in quo mihi complacitū est, hunc
3 audite. Filius conspicitur palam stans in flumine. Spi-
ritus sanctus uero manifesta specie insidet Filio.

In hanc

In hanc reuelationem intueamur, & hunc eternum patrem, qui se ibi patefecit misso filio suo Iesu Christo, & ostenso Spiritu sancto, inuocemus unacum Filio & Spiritu sancto, conditorem rerum & opitulatorem.

Declara etiam hanc particulam, Tres personas conditrices esse omnium creaturarum ?

Semper teneatur hæc regula infixamenti, Creationem rerum, & conseruationem opera esse totius Trinitatis, æterni Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Idq; passim in ueteri & nouo Testamento traditum est, Vt in Iohanne de filio dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Et de Spiritu sancto in Genesi dicitur, Spiritus Domini incubabat aquis. Item Psalmo, Verbo Domini coeli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum

Explica tertium membrum ?

In descriptione fit etiam mentio Ecclesie, ut membra nostre sint alligata ad hunc Deum, qui se patefecit in Ecclesia, sciant hunc uerè esse conditorem rerum, qui se dato hoc suo uerbo certis testimonijs ab initio mundi patefecit, ac misit Filium, & dedit Ecclesie sue Euangelium.

Quid sentiendum est de uirtutibus quæ Deo tribuuntur ?

B 5

Nequaquam

Nequaquam statuendum est esse accidentia, ut in
homine aut Angelo, sapientia, iustitia, bonitas, sunt
accidentia et res mutabiles, Sed sicut potentia Dei
non discernenda est ab essentia, nec aliud est, Sic
non sunt alie res ueritas, iusticia, bonitas Dei, Sed
sunt ipsa essentia, quæ est quiddam uiuum per sese
subsistens, intelligens, æternum, omnipotens, uerax,
bonum, iustum, castum, liberrimum &c.

DE VNITATE DEI.

Recita unum atq; alterum testimoniũ
um ostendens esse unum Deum ?

Audi Israel Dominus Deus noster Dominus
unus est, Deut: 6.

Item hæc dicit Dominus Rex Israel & redem-
ptor eius Dominus exercituum, Ego primus et ego
nouissimus, & præter me non est Deus, Esa. 44.

Item, Scimus quod nihil est idolum in mundo, et
quod nullus est alius Deus nisi unus. Nam etsi sunt,
qui dicuntur dii, siue in coelo siue in terra, sicuti
sunt dii multi, et domini multi, nobis tamen unus est
Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & unus
Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos
per eum. I. Corinth. 8.

Quid præcipue spectandum est in
eiusmodi testimonijs ?

Pij ob

Pij obseruent adpellationem diuinitatis, Quia
populus Israel peculiarem adpellationem IEHOVA
tribuit Deo, ut discernat uerum Deum conditorem,
qui se in hoc populo patefecerat ab idolis & com-
menticijs numinibus Ethnicorum.

DE TRIBVS PER- sonis.

Quid est Persona ?

Est substantia indiuidua, uiua, intelligens, in-
communicabilis, & non sustentata in alio, Græci
ὑπιστάμενον uocant.

Explica uerba huius definitionis ?

Præcipuæ particule quæ opus habent aliqua ex-
plicatione, hæ sunt. Quid uocetur substantia indiui- 1
dua, Et cur addantur particule, incommunicabilis, 2
Et non sustentata in alio.

Quid est substantia indiuidua
intelligens?

Constat ueteres Ecclesiæ scriptores solitos hæc duo
uocabulo discernere οὐσίαν et ὑπόστασιν, ac dicere
unam esse οὐσίαν, id est, essentiam æterni Patris, Fi-
lij, et Spiritus sancti, Sed tres ὑποστάσεις, id est, tres
uerè subsistentes, non commentitios, non caducos,
non confusos, Sed distinctos, seu intelligentes: Itaq;
substantia

Substantia indiuidua ὑπὸ σασιπ̄ significat, id est, es-
sentiam uerè subsistentem, distinctam & singula-
rem, Nec tamen diuersam habentem naturam, sed
ὁμοῦσιν cæteris.

Cur ponitur in definitione parti-
cula incommunicabilis?

Hæc particula etiam Personarum discrimina et
cuiusq; Personæ proprietatem monstrat, ac signifi-
cat Personam nihil communicare de proprietate
sua personali cum alio, seu idiomata characteristica
singularum personarum, ut Græci locuti sunt, non
esse inter se confusa, aut communia.

Cur ponitur tertia particula: Non
sustentata in alio?

Vt monstretur discrimen inter esse & subsistere
Personarum diuinarum et cæterarum rerum crea-
tarum. Et ut refutari possit sophisma contendenti-
um, in Christo duas personas esse, Quia nature hu-
manæ conueniant omnia quæ in definitione Personæ
recitantur. Hic particula illa addenda est, & mon-
strandum uitium ratiocinationis à non sufficiente
definitione, λόγος assumens humanam naturam, est
& subsistit sine alterius gestatione et sustentatione,
Sed massa humana assumpta à λόγῳ gestatur &
sustentatur, & non esset nisi sic gestaretur & su-
stentaretur.

stentaretur. Imò uniuersa humana natura non esset nisi hoc decretum interuenisset, ut Filius humanam naturam assumeret & gestaret.

Estne prorsus eadem uox Persona & hypostasis?

Idem prorsus Latini dicunt Personam, quod Græci ὑπόστασις uocant, loquentes de hoc articulo, Sed tamen quia ingeniorum petulantia sepe conturbat rectè dicta, rixæ etiam de uocabulo ὑπόστασις ortæ sunt, Cesserunt igitur Græci & Latinos secuti cœperunt etiam hoc loco dicere τρία πρόσωπα.

Quot sunt Personæ diuinitatis?

Tres sunt Personæ diuinitatis immensæ, coæternæ, ὁμοῦσαι, Pater domini nostri Iesu Christi, Filius qui dicitur λόγος & imago æterni Patris, & Spiritus sanctus.

Quod est maximè illustre testimonium de discrimine Personarum?

In baptismo Christi tres Personæ illustri discrimine monstrantur, Pater sonat è cœlo hanc uocem: Hic est Filius meus dilectus, Filius stans in flumine conspicitur, Spiritus sanctus specie uisibili demittitur & obumbrat Filium.

Recita Personarum discrimina?

Pater

Pater æternus est prima Persona diuinitatis, non
nata, nec aliunde procedens, Sed quæ ab æterno ge-
nuit Filium imaginem suam, & à qua procedit Spi-
ritus sanctus, et quæ cum filio & Spiritu sancto om-
nes alias res creauit & conseruat.

Filius æternus est secunda Persona diuinitatis,
quæ est substãtialis, et integra imago æterni Patris,
quam Pater sese intuens et considerans, ab æterno
gignit, quæ nobis quidem sic manifestatur, quod sit
Persona, per quam Pater dicit decretum et totum
ordinem creationis et reparationis hominum, &
mittitur, ut patefaciat Euangelium, et assumat hu-
manam naturam, Et sit mediator, redemptor, iusti-
ficator & saluator.

Spiritus sanctus est tertia Persona diuinitatis,
procedens à Patre et Filio, Et est substãtialis amor
& leticia coæterna inter Patrem et Filium, Et no-
bis sic manifestata est, quod mittitur in corda cre-
dentium, ut tales motus, leticiam & amorem acqui-
escentẽ in Deo in eis accendat, qualis est ipse. Sicut
2. Timoth. 1. expresse scriptum est, Non dedit no-
bis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei,
& castificationis.

Quid differunt Nasci & Procedere?

Nasci est à potentia cognoscente, quia genitum
est imago gignentis, Vt autem in homine potentia
cognoscens

cognoscens format imagines et loquitur. Sic Filius
est ex sinu æterni Patris imago cogitatione genita,
Et est λόγος ostendens cum in reuelatione Euan-
gelij. Procedere autem est à uoluntate habente mo-
tus, Quia Spiritus sanctus est motor seu agitator.

Ad quid prodest tam accuratè
discernere Personas?

Quia Personarum confusio exitialis est, Sabela-
tius, Iudæi, Mahomet et similes uociferantes, unum
Deum esse inuocandum, quia patefactiones diuini-
tatis et Personarum discrimina non tenent, de essen-
tia, et uoluntate Dei horribiliter errant, nec rectè
inuocant, nec exaudiuntur, ut supra diximus, Qua-
re statuendum est cum Ecclesia, tres esse distinctas
diuinitatis Personas, et unam æternam essentiam di-
uinam, quæ tres Personæ respectu creaturarum
sunt unus Deus, conditor & conseruator omnium
creaturarum. Hæc doctrina de unitate Dei & de
tribus Personis munit mentes contra multorum hæ-
reticorum præstigias & deliria, quorum alij perti-
naciter Personarum discrimina prorsus tollunt,
Et singularitatem quandam in diuinitate fingunt.
Alij tantum adpellationibus seu nominibus differre
Personas contendunt. Alij infinitam Deorum tur-
bam somniant.

DE FILIO.

Quas

Quas adpellationes scriptura
tribuit Filio:

- 1 Iohannis primo nominatur λόγος, Ad Collossen-
- 2 ses primo. imago Dei nominatur, Græcè εἰκὼν. In
- 3 Epistola ad Hebræos Cap. i. uocatur splendor glo-
- 4 riæ, Item effigies substantiæ paternæ.

Cur dicitur λόγος.

Non solum quia cognitione nascitur, sed etiam
quia est Persona proferens Euangelium ex sinu æ-
terni Patris, et conseruans ministerium Euangelij,
Et est efficax in his, qui credunt Euangelio, et uoce
Euangelij dicens consolationem in cordibus eorum,
et uiuificans eos, sicut inquit: Ego uitam æternam do
eis, et ostendens Patrem, et effundens Spiritum san-
ctum in corda eorum, Etsi enim fit uiuificatio per
omnes Personas, tamen hoc ordine fit: Filius qui col-
ligit Ecclesiam immeditate uoce Euangelij mouet
corda, et monstrat Patrem, et dat Spiritum sanctum.
Ideo dicit Athanasius: Quandocunq; dicitur in ho-
mine esse Spiritus sanctus, est ibi per Verbum, Con-
siderandum est igitur, Filium dici λόγος, et respectu
Patris, et respectu nostri, quia est λόγος, per quem
Pater se nobis patefecit. Ideo in Iohan: dicitur ne Fili-
us qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et do-
minus ipse respondet interrogantibus quis sit, Ἰὴν
ἔρχη ὁ ὡς ἡ λαλῶ ὑμῖν, id est, Ego sum Verbum,
quod lo-

quod loquor uobis in initio. Sum illa Persona, in initio loquens uobiscum, proferens Euangelium ex sinu eterni Patris.

Declara quod dicis cogitatione nasci Filium?

Mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitatae, Sed nos non transfundimus nostram essentiam in illam imaginem, Suntque cogitationes ille subita et euanescentes actiones, At Pater aeternus sese intuens gignit cogitationem sui, quae est ipsius imago non euanescentes, sed subsistens, communicata ipsi essentia.

Cur dicitur imago?

Quia cogitatio est imago rei cogitatae.

Cur dicitur splendor gloriae Patris?

Graece significantius scriptum est ἀπαύγασμα, id est, ab alia luce splendor editus, Sic Filius est splendor à luce paterna editus, sicut in Symbolo legitur: lumen de lumine. Additur etiam in Epistola ad Hebraeos haec particula χαρακτῆρ, id est, effigies substantiae Patris, id est, imago non euanescentes, sed subsistens communicata ipsi essentia.

Quis est usus harum adpellationum?

Utiliter monent λέγον esse Personam et naturam Filium Dei.

C

Proba

Proba λόγος personam esse et natura Filium Dei,

Ponam duas rationes sumptas ex scriptura, quæ meo iudicio utiliter & docent & consolantur pios. Prima, Quicquid est extra personam Patris, in quo est natura diuina, id necesse est personam esse.

Scriptura clarè discernit λόγος à Patre, & uocat Filium Dei unigenitum, non adoptiuum, sed naturalem, ergo necesse est λόγος personam & natura Filium Dei esse.

Declara Minorem

Iohan: I. Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti à Patre. Hic clarè discernit Euangelista filios adoptionis à Filio Christo, quem uocat unigenitum à Patre. Et Paulus inquit ad Colloss: 2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, Qui Christus est Persona diuina, q. d. habitare in eo diuinitatem, non tantum ut in Dauide & alijs sanctis effectiue, quo ad dona particularia & separabilia, Sed ita, ut personali unione humana natura diuinae unita sit, Nam Græci ὁμοια dicunt, ut nos uulgo Personam.

Secunda Ratio.

Propria sunt omnipotentis & diuinae nature, exaudire & ubiq; introspicere corda donare iusticiam & uitam æternam &c.

Vniuersa

Vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica
magno consensu tribuit Christo has seu proprietates,
seu honores diuinos, Ergo, Necessse est in Christo
diuinam naturam esse.

Declara Minorem ?

Iohannis 3. Qui credit in Filium habet uitam
eternam, Esaie. II. In die illa radix Iesse stabit in si-
gnum populorum, Gentes ipsum deprecabuntur.

Psalmo. 45. Et concupiscet Rex decorem tuum,
quoniam ipse est Deus tuus, & adorabunt eum.

Genesis 48. Deus Abraham, & Angelus qui
eruit me ex omnibus malis, benedicat pueris istis.

In his & similibus testimonijs dicitur de inuoca-
tione perpetua Christi, etiam cum nõ uersatur cum
hominibus uisibiliter, Necessse est ergo esse eum ante-
quam naturam humanam assumpsit & uere De-
um esse.

Quot sunt naturæ in Christo ?

Due, Diuina & humana.

Confirma hoc aliquo insigni scrip- turae testimonio ?

Iohannes descripturus naturas in Christo sic in-
quit, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud
Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in princi-
pio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine

ipso factum est nihil, quod factum est. Postea addi-
tur ibidem. Et Verbum caro factum est, et habitauit
in nobis, et uidimus gloriam eius, gloriam quasi uni-
geniti à Patre, plenum gratia & ueritate.

Quid Iohannes uocat λόγος
seu Verbum ?

Sic uocat Filium Dei Dominum nostrum Iesum
Christum, qui postea assumpsit humanam naturam,
ut ibi inquit: Et Verbum caro factum est.

Contra:

Verba sunt intelligenda in propria et usitata si-
gnificatione.

λόγος usitate significat uel cogitationem, uel
decretum in mente, uel uerbum euanesceus. Ergo Et
in Iohanne intelligendum est, significari tale decretum
uel cogitationem euanescentem in mente Patris, uel
promissionem de mittendo excellenti doctore Christo.

Respondeo.

Vera est Maior propositio, Nisi aliud conuincant
et cogant intelligere circumstantiae cuiusq; loci, Aut
alia testimonia non obscura, nec ambigua, Sed in Ioh-
hane significari Personam ἰφισαμῶν & subsi-
stentem, distinctam à Patre, circumstantiae osten-
dunt sequentium dictorum. Et alia testimonia alibi
expressa. Quia de λόγος mox dicitur: Et Verbum

Care

Caro factum est, Et, In ipso uita erat, et uita erat lux hominum. Loquitur ergo de uiuente et intelligente. Item, Antequam Abraham nasceretur, Ego sum. Item, Glorifica me Pater ea gloria quam habui apud te ante conditionem mundi.

Nunc percurrere ordine singula membra dicti Iohannis ?

Docendi gratia in sex propositiones digeremus.

Quæ est Prima ?

In principio erat Verbum, id est, Filius æterni Patris erat ante mundi conditionem, & ante Creaturas, Coæternus Patri, sed à Patre dicente genitus.

Secunda.

Et λόγος erat apud Deum, Particula apud, discernit Personas, λόγος, id est, Filius erat apud Patrem æternum. Sunt igitur duæ Personæ, æternus Pater, & Filius Dei coæternus, genitus à Patre.

Tertia.

Et Deus erat Verbum. Græcus Articulus testatur λόγος collocandum esse loco subiecti, et Deum loco prædicati, ut sit sententia, Et Verbum erat Deus, id est, illa ipsa imago non est creata ex nihilo, sed de substantia æterni Patris genita & uerè Deus.

C 3

Quarta.

Quarta.

Hoc erat in principio apud Deum. Hoc dictum admonent duas esse Personas, easq; coaeternas, Ita, ut intelligatur Pater aeternus, qui genuit, & Filius genitus, qui est imago aeterni Patris.

Quinta.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, hoc est, Conduntur Creaturae & conseruantur per Filium, quia lucet in Filio imagine mentis Paternae, decretum de creatione & reparatione hominum, Et in his operibus immediate est efficax & conspicitur Filius. Estq; hic tenenda Regula pia & utilis, Creaturas omnes à tota diuinitate, ab aeterno Patre, Filio, & Spiritu sancto, pariter conditas esse. Constat ergo parem esse potentiam trium Personarum, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Cæterum concionatur hoc dictum non solum de creatione rerum, sed etiam de mirandis operibus Filij Dei, omnibus temporibus in Ecclesia. Porro exclusiua particula utiliter monet, rerum destructionem, ut sunt peccatum & mors, non esse conditam à Filio.

Sexta.

Et Verbum Caro factum est, et habitauit in nobis. Hoc dictum omnium maxime illustre est probans λόγος, significare Personam. Præcipue autem
obseruanda

obseruanda sunt hæc tria. Primum, Verbum assumpta
psisse naturam humanam, Ita, ut sit una Persona
λόγος, Et massa assumpta, non persona alia diuini-
tatis, Pater aut Spiritus sanctus.

Secundo, Ne cogitetur transmutatio seu conuer-
sio uerbi in naturam humanam, Sed potius Verbum
assumpta humana natura in ea lucere. Suntq; confe-
renda dicta, quibus Verba Iohannis alibi declaran-
tur, Vt Philip: 2. Qui cum esset in forma Dei, non
rapinam duxit, esse æqualem Deo, Sed forma serui
assumpta exinaniuit se &c.

Tertio, Intelligatur caro non tantum Corpus, sed
totus homo, qui habet animam & corpus. Et appella-
tio carnis phrasi scripturæ simul significat imbeci-
lilitatem humanam & mortalitatem, quam induit
Filius Dei, sed sine labe & peccato.

Quorsum opus est hæc de λόγος
toties inculcare?

Maximè prodest ad hoc, ut discant pij refutare
Samosatenum et Arrium, qui contra Filium Dei hor-
ribiles olim in Ecclesia furores sparserunt, & pertinaciter
defenderunt.

Ricita summam delyrj Samosateni:

Samosatenus, Photinus & recens Seruetus con-
tendunt λόγος in dictis Euangelistæ nõ significare
Personam, sed loqui Iohannem de cogitatione, seu de

Ciiij

liberatione

liberatione, seu proposito in mente diuina, quod nō sit Persona seu subsistens hypostasis distincta à Patre, sed sit nihil aliud quam Pater ipse. Hunc errorē discant pij refutare firmis testimonijs scripturæ.

Quid sequitur ex hoc Samosatēni delyrio incommodi?

Incommodum quod ex delyrio Samosatēni oritur.
1 hoc est, Negatur diuinitas Christi. Porro si Christus
2 non est Deus, necesse est esse Creaturam, Si est Cre-
3 atura non est Creator, Si non Creator non potest
4 nos iuuare. Deinde si ita inuocamus Christum, du-
bitamus an possit nos iuuare, & tribuimus Creatu-
ræ honorem diuinum, seu inuocationem, qui honos
soli Deo competit,

Quomodo refutari Samosatenus potest?

Multis modis. Primū scripturæ testimonijs. Deinde etiam ueterum scriptorum dictis, quorum doctrinam Ecclesia suo quoq; tempore purissimam iudicauit.

Ostende quomodo refutari possit Samosatēni error scripturæ testimonijs?

Primum et omnium maximè firmum testimoniū ex textu Iohannis sumitur, ut ante dictum est. Verbum Caro factum est. Certum est enim Patrem non esse factum carnem, Sed λόγος induisse carnem, Igitur
tur

tur λόγος non est cogitatio, quæ sit ipse Pater, ut
Samosatenus nugatur, Nec est λόγος uox euanes-
cens, Sed est natura diuina, quæ est et manet unita
carni, id est, cum humana natura assumpta.

ALIVD.

Ad Hebræos i. Locutus est nobis per Filium,
quem posuit heredem omnium, per quem et secula
fecit, qui est fulgor gloriæ, et imago substantiæ eius,
ferens omnia uerbo potentiæ suæ. Hic cum Epistola
ad Hebræos clarè dicat, per Filium omnia condita
esse, quo misso sit nobiscum locutus. Id uero de na-
tura humana dici non possit, Necessè est in Christo
esse et manere etiam alteram naturam conditricem.

ALIVD.

i. Iohan: i. Quod erat ab initio, quod audiui-
mus, quod uidimus, quod manus nostræ contrectauerunt
Verbum uitæ, id annunciamus uobis. Hic quoq; te-
statur in Christo nato ex uirgine esse et manere uer-
bum illud, quod in initio fuit, et quod uiuificum esse
asseuerat.

Recita nunc unum atq; alterum dictum
scriptorum Ecclesiæ, quibus refutari
Samosatenus possit:

Gregorius Neocæsariensis, qui Samosatenum re-
futauit ac damnauit, hanc reliquit confessionem. Vnus

C S

Deus

Deus Pater uerbi uiuentis, sapientie subsistentis & imaginis sue integer integræ genitor Pater filij unigeniti, unus Dominus, Solus ex solo, imago Patris, uerbum efficax. Filius sempiternus ex sempiterno, unus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur.

ALIVD.

Tertullianus aduersus Praxeam sic scribit, Quee unq; ergo substantia λόγου fuit, illam dico Personam, & illi nomen Filij uindico, & eum Filium agnosco, & à Patre secundum defendo.

Recita nunc Arrij delyrium ut confutetur ?

Arrius concedit λόγος esse Personam, Sed detrahit ei diuinitatem, contendens λόγος Creaturam esse longè omnium præstantissimam ex nihilo conditam.

Quomodo refutas Arrium ?

Iohannes firmissimè refutat Arrium, cum adfirmat expresse λόγος esse Deum, Et ne in uocabulo Dei sit ambiguitas, attribuit λόγος, quod per eam Personam omnia condita sint, Ergo, cum sit Persona conditrix & omnipotens, uerè Deus est natura, non tantum nuncupatione.

Suntne

Suntne plura testimonia quibus refus-
tari possint Arrius & Samo-
fatenus ?

*Maximè, Suntq; iam recitata præcipua, idco
breuitatis causa omitto reliqua, quæ peti possunt
tam ex ueteris quam noui Testamenti lectione,*

*Quæ sunt usitatae obiectiones quæ op-
poni solent his confutationibus ?*

*Præcipua est: Naturam diuinam non pati, non
mori, uidetur ergo impossibile Christum pati aut
mori, si sit natura Deus. Postea multæ aliæ ex alijs
dictis sumuntur, ut, Pater maior me est. Item, Ego
honoro Patrem.*

Responde ad obiectiones ordine ?

*De prima respondeo, Cum in Christo duæ sint
naturæ, quædam propria uni naturæ non impedi-
unt quo minus adsit altera natura. Propria autem
hæc sunt humane naturæ, lacerari membra, pati,
mori. Ideo rectè dicitur Christum Deum passum et
mortuum esse. Ac Petrus declarans quomodo hæc
rectè dicantur, diserte inquit, Christum passum es-
se carne 1. Pet. 4. Et Ireneus eruditè & piè inquit,
Christum crucifixum & mortuum esse, requiescens
te Verbo, ut crucifigi & mori posset.*

*Quomodo confutandæ sunt cæ-
teræ obiectiones ?*

De his

De his tenende sunt Regule. Quaedam dicta de
essentia loquuntur, Quaedam de officijs, aut ordine
Personarum inter se, Quaedam de Persona missa et
humiliata, quaedam de regnante & glorificata, Vt,
Arriani citabant hoc dictum: Pater maior me est,
quod manifestè loquitur de discrimine mittentis &
missi, non de essentia. Sicut & Hilarius intelligit in-
quiens, Patrem esse maiorem non natura nec essen-
tia, sed authoritate, Facit ergo Christus discrimen
officiorum, Non loquitur de essentia, Nunc missus
subiectus sum cruci & seruo meæ uocationi, Deinde
uero Pater mihi gloriam restituet, quam ante mun-
di conditionem habui apud ipsum. Ita cum inquit Fi-
lius: Ego honoro patrem, loquitur de ordine Per-
sonarum inter se, Quod uidelicet non solum ut Per-
sona missa, sed & in quantum Filius eterno Patri se
subijcit, et eum uero honore ac reuerentia ueneratur,
magis quam ulla creatura, Nec honos seu ordo Per-
sonarum inter se, tollit æqualitatem essentia aut po-
tentia. Ita dicta, Deus meus ut quid dereliquisti me,
intelligentur de Persona patiente et humiliata, Et
discernantur à ceteris, quæ eiusdem Personæ glo-
riam commemorant.

Sed quid respondebis ad obiectionem
de fuga mortis in Christo?

Primò respondeo. Lacerationes in carne naturaliter
efficere dolores etiam sine peccato. Deinde supra
illum

illum naturalem dolorem est in Christo sensus iræ
Dei aduersus peccatum generis humani, Et in hac
lucta est quedam trepidatio, sed Christus fert huius,
modi terrores sine indignatione, agnoscit esse obedi-
endum Patri. At in cæteris hominibus cum fuga
existit fremitus aduersus iudicium Dei, Et in his qui
non cluctantur confugientes ad uictoriam Christi
accedunt horribiles blasphemie.

Suntne propositiones similes, Hæc de
Christo intellecta, Deus est passus, Et
altera hæc, Diuinitas est passa ?

Sunt dissimilimæ. Et modi loquendi considerandi
sunt, Verissima est propositio intellecta de Christo,
Deus est passus, uulneratus aut mortuus. Sed contra
falsissima est propositio, Diuinitas est passa, uulnera-
rata aut mortua.

Quæ est ratio diuersitatis ?

Propositio in abstracto significat naturam per se
consideratam, ideo necesse est dici, Natura diuina
non patitur, non moritur, Quia propria diuinae na-
turæ sunt, esse immortalem, esse omnipotentem, &
similia. Sed propositio in Concreto significat Perso-
nam, in qua sunt duæ naturæ, λόγος et natura as-
sumpta, Et sunt unū ὁφισάμενον indiuiduum, uiuū,
intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab
ut

alio. Nam ut vitetur confusio diuinitatis mittentis, Et huius Personæ missæ, necesse est discerni propositiones, in quibus diuinitas secundum se considerata significatur, Et reliquæ in quibus de Persona missa dicitur in Concreto, ut Deus est mortuus, Deus est vulneratus, Filius hominis est in cælo.

Quomodo ergo ueræ sunt hæ propositiones significantes Personam in Concreto?

Communicatione Idiomatum, Cum enim sint in Christo due nature, Quædam propria uni nature, non impediunt, quo minus adsit & altera natura.

Quid est communicatio Idiomatum, & cur est in Ecclesia tradita?

Est phrasis seu forma prædicationis, in qua proprietas uni nature conueniens, tribuitur Personæ in Concreto, propterea quod due nature, λόγος, & natura assumpta, sunt unum ὑψίστου, Et significatur, in Christo duas esse naturas, non tantum ita, ut altera sit socia et separabilis, Sicut in Elia et alijs sanctis, adest Deus societate, ut auxiliator, & separabiliter, Sed sic quod λόγος assumpserit humanam naturam miranda unione inseparabili & Personali. Estq; tradita in Ecclesia primum, ut ostendi posset, quomodo due nature unite sint sine confusione

fusione aut mutatione, aut quacunq; permixtione,
Denide ut discrimen esset propositionum, quæ uel de
naturis loquuntur secundum se consideratis, uel de
Persona subsistente, duabus naturis integris, incon-
fuis & impermixtis. Ac præbuerunt ei rei occasio-
nem certamina Nestorij & Eutythis, Quorum pri-
or facta naturarum distractione, Alter facta ea-
rundem confusione ac permixtione, dicta scripturæ
de naturis, et harum unione, horribili audacia de-
prauabat, Et his sibi præstigijs aditum quærebat, ad
euertendam doctrinam de diuinitate Filij Dei domi-
ni nostri Iesu Christi, & de duabus in ipso naturis.

Nestorius magno conatu defendens hanc propo-
sitionem, Noli gloriari ludæe, non Deum, sed homi-
nem interfecisti, etsi uolebat uideri propugnare hoc
quod ante dictum est, Naturæ diuinæ proprium esse
non uulnerari, non mori, Tamen propriissime hoc uo-
lebat, hanc Personam Christum non esse Deum, sed
λόγος Christo adfuisse, ut Eliæ aut alijs sanctis
adest. Ita distractis naturis de quibus Iohannes in-
quit: Et Verbum caro factum est, Et Personam
Christi soluit, & diuinitatem τὸ λόγος prorsus sus-
stulit.

Eutythes econtra contendit de naturarum ad-
inuicem mutatione ac confusione, prorsus sublatis
harum proprietatibus, sicut interpretatus est uerba
Iohannis: Verbum caro factum est, Non ut
Paulus

Paulus et Epistola ad Hebræos inquit, assumptione, sed mutatione seu conuersione, seu permixtione uerbi cū carne. Hic quoq; Personam Christi soluit, Et idem quod Nestorius propositum habuit, ut uidelicet diuinitatem τὸ λόγῳ cuerteret, Nam posita natura τὸ λόγῳ passibili et mortali, mox uidit corrui- tura omnia, quæ de diuinitate eius dicerentur.

At Ecclesia ut insidias utrinq; structas euitaret, et modos loquendi, et dicta dissimilia discerni uoluit, ut naturis in Personam seu ὑφίστα μὴ ὄν unū indissolubile unitis, propria sua inconfusa et impermixta tanquam naturarum signa, seu κριτήρια, certissima tribuerentur. Et phrasin hanc idiomatum κοινωσίαν uocauit, ut intelligerentur propria naturarum inter se consociata seu cōmunia esse, ut naturæ simul et unitæ sunt in tota æternitate sine dissolutione, aut separatione. Ac perspicua refutatio Nestorij ex hac doctrina sumitur, Quia manifesta dissimilitudo est inter propositiones, Elia patiente Deus patitur, Et hanc, Christo patiente Deus patitur, Quia in priore significatur tantum relatio, seu contemptus ad Deū pertinens, ut cum dico, legato uiolato Rex uiolatur et contemnitur, quia contumelia ad regem pertinet, Sed Christo patiente Deus patitur, intelligitur pati Persona quæ reuera Deus est, etsi tantum natura humana cuius proprium est pati et mori, dolores sentiat ac perferat, Quia simul sunt et unitæ indissolubiliter

solubiliter hæ duæ naturæ diuina & humana assumpta.

Est & Eutychianæ confusionis perspicua refutatio, hoc canone de communicatione idiomatum obseruato, quia cum propria naturarum tantum in Concreto de Persona commemorentur, hac lege, ut cuiq; naturæ sua idiomata tribuantur et annumerentur, perspicue significatur naturas unitas esse, sine mutatione, sine permixione, aut confusione quacumq;. Ac ut aliquo modo indicari posset unio Personalis, uetustas usa est similitudine copulationis corporis & animæ in homine, ut apud Iustinum hæc uerba leguntur, τίνες μὲν τῷ ἐνωσίῳ ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαίτες, οὕτως ἐδεκδῶνασιν, ἑαρμοδίῳ γὰρ τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατὰ τὶ γέρ.

Sicis?

Vt igitur propterea, quia anima & corpus unum hominem constituunt, Nō dicimus promiscue, anima est corpus, et e contra, Et tamen recte dicimus de integro homine, Homo ridet, numerat, Ita recte dicitur Christus dormit, patitur, moritur, Etiam si non dicimus: Natura diuina dormit, patitur, aut moritur, Quia cum de Persona in priori forma dicatur, Et quidem in Concreto, significatur simul natura, cuius illa propria sunt, dormire, pati, mori, At in posteriore cum in abstracto una natura tantū secundum se considerata significatur, non possunt ei tribui, quæ ipsius non sunt propria. D Eodemne

Eodem modo dicuntur de Christo
appellationes quę significant naturarum
propria, et adpellationes officiorum?

Nequaquam. Quia infinitum discrimen est inter
adpellationes, quę significant proprietates natura-
rum, et appellationes officij, Et ipsa uocabula discri-
men perspicue ostendunt, Quia aliud est idioma na-
turę, Aliud officium Personę, in qua duę naturę
propterea unitę sunt, ut officia illa sustinere posset.

Ita propria sunt humanę naturę, pati, vulnerari,
mori. Propria autem diuinę naturę sunt, esse omni-
potentem, esse immortalem. Sed nomina officij sunt,
mediator, redemptor, saluator, sacerdos, rex, pastor,
Dictum est autem supra naturarum propria tribui
Personę in Concreto per communicationem idioma-
tū, id est, ita, ut secundum illam tantum naturam ue-
ra sit prædicatio et propositio, cuius illa propria
sunt, quorum in propositione fit mentio. Sed nomina
officij toti Personę competunt, et intelligitur in his
non altera tantum natura, sed utraq; suas habere ac-
tiones, sibi competentes. Et unionem duarū natura-
rū propterea factam esse, quia neutra illarū natura-
rū sola officijs illis gerendis ac sustinendis idonea fu-
erit, ut hæc nomina, Mediator, Redemptor, Saluator
et similia, Personę competunt non tantum humanę
naturę. Et quanquam actiones quędam sunt in natu-
ra humana proprię, ut dolores omnes et ago-
nes

nes in passione, Tamen et diuinæ naturæ τὸ λόγῳ
actiones proprias simul necesse est, intelligere ac
complecti, ut intercessio filij ac missio eius inde usq;
ab initio Ecclesiæ, Filius primo intercedit pro Eccle
sia, et postea perpetuo adest Ecclesiæ, patefacit pro
missiones, colligit et seruat Ecclesiam, & uult illam
suam obedientiam propter quam postea naturam hu
manam assumit, Ita tunc est Mediator, propiciator
& saluator, propter illam futuram obedientiam,
quæ est Personæ postquam assumpsit humanam na
turam. Et tunc & postea dans iusticiam et uitam
æternam, deuicta & abolita morte, dat immediate
diuina potentia, etiamsi propter decretum de as
sumenda humana natura rectè dicitur, dare illa Se
men mulieris, semen Abrahæ, uel Messias promissus,
futurus homo & Deus.

Cum igitur per communicationem idiomatum sea
cundū alteram tantum naturam ueræ esse propositi
ones intelliguntur, quæ de naturarū proprijs loquū
tur, sed has de Personæ officijs locutiones, secundum
utrāq; naturā ueras dicimus, Sciendum est dissimiles
et distinctos loquēdi modos esse, et prudenter obser
uanda est uis particulae, secundum, Quæ ut in prio
re forma cōmunicationis idiomatū uerè et propriè
tantum distinctiua est, ostendens propria naturarū
nō confusa esse. Ita in hac altera præter hanc distin
ctionem, propemodum peculiarem copulae uim

habet, quia significat utramq; naturam complecten-
dam esse, cum de Personæ officijs dicitur, Quia neu-
tra natura sola illis sustinendis idonea fuerit et unio
illa ideo facta sit, ut officia hæc rectè tribui Personæ
uni possent.

DE SPIRITV SANCTO.

Estne simplex usus uocabuli Spiritus
in sacris literis ?

Non, sed mira est uarietas in significatione huius
uocis. Nomen Spiritus in genere significat agitatio-
nem aut naturam seu uim agitantem, sepe signifi-
cat uentos, sepe uitam hominis, sepe motus seu im-
petus hominum creatos, tum bonos, tum malos. In
hoc sermone : Deus est Spiritus, significat essentiam
spiritualem, id est, uiuã, intelligentem, incorpoream,
efficacem, estq; hic nomen commune Patris & Filij,
Sed quando fit mentio Spiritus sancti, intelligatur
tertia persona diuinitatis, de qua hic loquimur.

Quid est Spiritus sanctus ?

Est tertia Persona diuinitatis, quæ à Patre &
Filio procedit ab æterno, & est flamma substantialis
amoris & læticiæ inter Patrem & Filium, & nobis
sic manifestata est, quod mittatur in corda, quæ uoce
Euangelij regenerantur, ut noua luce agnoscant &
inuocent Deum, & inchoetur in eis uita æterna,
dum fide consolationem concipiunt.

Proba Spiritum sanctum Personam
esse & natura Deum ?

Tres sunt maximè insignes & firmæ propo-
sitiones, quarum prima sumitur ex adparatione uisibi-
li, qua sese reuelauit Spiritus sanctus. Altera ex bap-
tismi institutione. Tertia ex scripturæ testimonijs.
P R I M A. Spiritus sanctus in baptismo Christi uisi-
bili & peculiari specie columbæ conspicitur. Item in
die Pentecostes adparet corporali specie uenti &
linguarum flammearum.

Hac specie nec Pater nec filius sese patefecit, sed
solus Spiritus sanctus, Ergo,
Spiritus sanctus est Persona à Patre & filio distin-
cta & uerè ὁψιστάμω. S E C V N D A.

Inuocatio tribuit diuinos honores ei ad quem
dirigitur.

Ad Spiritum sanctum pariter dirigitur inuoca-
tio ut ad Patrem & Filium, sicut docent uerba Ba-
ptismi. Ergo

Spiritus sanctus Deus est, & tertia diuinitatis
Persona, cui par honos cum Patre & Filio debetur.
T E R T I A.

Cum uenerit Paracletus quem mittam uobis à
Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit.

A se inquit mitti Spiritum sanctum, non est igi-
tur aut Pater agitans, aut tantum agitatio creata, à
Patre, ergo Persona peculiaris est distincta à Patre
et Filio. Ad Rom. 8. Ipse Spiritus dat testimonium
spiritui nostro. Hic Paulus discernit mouentem ac

consolantem Spiritum sanctum à consolatione, qua
cor erigitur ac uiuificatur. Ergo cum sit Spiritus au-
tor horum donorum, Necessè est distinctum esse à
Patre & Filio, & natura Deum esse.

Fuitnè Spiritus sanctus antequam
carnem induerat Filius Dei ?

scw: j
Spiritus sanctus indè usq; ab initio adfuit Ecclesiæ
sicut Petrus palàm testatur, Spiritum Christi habi-
tasse in prophetis, ac prædixisse Christum passurū.
Idem multo illustrius docent uerba Esaiæ 59. Hoc
est foedus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus me-
us, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore
tuo non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui,
dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Adfira-
mat mansuram esse Ecclesiam Dei, & ibi mansu-
ram ubi sonat uox Euangelij, & cum ea uoce effica-
cem esse Spiritum sanctum, Et passim plura testi-
monia colligi possunt, quæ idem docent, Sed tamen
discrimen in patefactione teneatur. Nunquam sese
illustrius patefecit tota diuinitas, quam in Baptismo
Christi. Sic etiam de Spiritu sancto cogitandum est,
etsi adfuit Ecclesiæ inde usq; ab initio, tamen uisibi-
liter sese nunquam patefecit Spiritus sanctus, tam
illustri specie, ut in nouo Testamento.

DE CREATIONE.

Quid significat uerbum creare ?

Creare

Creare, proprie significat ex nihilo aliquid facere,
sicut docet hæc sententia: Ipse dixit & facta sunt,
Ipse mandavit et creata sunt, id est, Deo dicente seu
iubente, cum res non essent, esse cœperunt.

Recita summam articuli de creatione.

De hoc articulo sic est sentiendum, Quod Deus
eternus Pater domini nostri Iesu Christi, una cum
Filio coeterno, et Spiritu sancto, condiderit ex nihilo
caelum & terram, Angelos & homines, & omnia
reliqua corpora. Ac simul etiam statuendum est
perpetuò seruari ac sustentari à Deo conditas re-
rum substantias. Hæc rerum sustentatio seu conser-
uatio, usitata adpellatione uocatur, Actio Dei ge-
neralis.

Cur addis postremã particulam de con-
seruatione et sustentatione rerum?

Quia magnos tumultus excitant in humanis men-
tibus furores Epicurei et Stoici, Quorum hi fingunt
Deum alligatum esse causis secundis, nec quicquam
aliter posse facere, quam ut secundæ causæ cient,
illi contendunt omnia casu uolui & confundi. Con-
tra has dubitationes primum firmissimè tenendum
est, adesse Deum rebus à se creatis, & has seruare,
Et ut agens liberrimum gubernare ac moderari.
Deinde nequaquam cogitandum est, casu nos op-
primi aduersis aut fatalem ordinem causarum

Immutabilem esse, nec res secundas ad casus aut tantum ad causas Physicas, referendas esse, Sed Deum agnoscamus uere largiri bona, et moderari naturam suo consilio.

Quomodo probas hanc rerum creationem & conseruationem?

Per spicua & illustria testimonia multa sunt, Psal: 33. Verbo Domini caeli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Hic fit mentio Domini, uerbi, & Spiritus, Constat igitur creationem & conseruationem rerum opus esse totius Trinitatis. Acto: 17 In ipso sumus, uiuimus & mouemur, id est, Per ipsum datur, conseruatur & fouetur uita nostra.

Idem docet precatio dominica, Quae à Deo petere iubet panem quotidianum, Confitemur ergo Deum largiri uictum, & terram non esse foecundam, nisi Deo iuuante & foecundante.

Potest ne alijs etiam modis probari haec rerum conditio & sustentatio?

Valde illustres probationes sunt haec demonstrationes rationales. Prima sumpta ab ordine in natura rerum conditarum. Secunda à natura mentis humanae. Tertia à discrimine honestorum & turpium. Quarta à Principiorum noticijs naturae insitis. Quinta à terroribus conscientiae.

Sexta,

Sexta à societatis politicæ conseruatione prorsus miraculosa.

Septima à serie causarum efficientium.

Octaua à causis finalibus.

Nona à significationibus & prædictionibus euentuum.

Decima à noticia Legis.

Sed breuitatis causa non recitabo has omnes, Et duas tantum adscribam, quæ sunt omnium maxime illustres, quarum altera sumitur à natura mentis humane, Altera à discrimine honestorum & turpium, & alijs noticijs naturalibus.

Recita Priorem :

Bruta res non est causa naturæ intelligentis,
Mentes humane habent aliquam causam, & sunt naturæ intelligentes, Ergo
Necesse est non brutam, sed naturam intelligentem causam esse mentis humane. Et per consequens necesse est, Deum esse conditorem hominum.

Recita posteriorem :

Impossibile est discrimen honestorum & turpium,
Item cæteras ordinis & numerorum noticias, mentibus hominum impressas, casu aut à materia ortas esse, Ergo, Necesse est aliquam mentem architectatricem esse, quæ & condidit & seruat in mentibus has noticias.

D 5

De causa

DE CAUSA PECCATI.

Blasphemæ & perniciose sunt cogitationes Deum esse causam peccati, Sicut impiè & sceleratè Cerdon, Manichæus et Marcion finxerunt duos esse Deos, Vnum quidem supremum innominatum & invisibilem, Deum bonum, qui nihil ex his quæ in mundo sunt creavit. Alterum autem visibilem Deum ac opificem rerum creatarum, causam mali, ut Epiphanius refert Tomo tertio libri I. contra Archonticos, Cerdonianos & Marcionistas, Item Tomo secundo libri 2. contra Manichæos, ubi Epiphanius scribit, Manem introduxisse duo Principia, quorum alteri imposuit nomen, Lux & Bonum: Alteri uero Tenebras & Malitiam, Quæ duo Principia appellauit Deum bonum & Deum malum.

Contra has blasphemias cogitationes & sceleratam opinionem utraq; manu tenenda est hæc propositio: Deus non est causa peccati, nec uult nec efficit nec approbat peccatum, sed horribiliter detestatur peccatum, & irascitur peccantibus.

Primum enim extat illustre testimonium Gene. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat et erant ualde bona, ubi Moses affirmat, Æternum Deum, unum uerum,

rum, uiuum, omnipotentem, iustum, ueracem, bonum, intelligentem & liberrimum per Verbum & Spiritum oris sui coelum & terram omnesq; creaturas rationales & irracionales, quæ coelo et terra continentur suo loco & statu perfectas, absq; omni peccato, scelere, errore & turpitudine condidisse.

Deinceps notæ sunt perspicuæ comminationes, & poenæ, quarum multitudine & seueritate Deus iustus & uindex scelerum iram suam aduersus peccata singulis ætatibus declaruit & adhuc declarat: Quocunq; die comederis, inquit uox diuina ad primum parentem Adam, Ex hac arbore, morte morieris. Quid aliud etiam uox Legis tradit, quam explicationem immotæ uoluntatis æterni Dei præcipientis bona & salutaria ac seuerè prohibentis peccata? De poenis uerò nihil dicam. Certum est speciosissimum Angelum propter peccatum à Deo esse damnatum, propter peccatum etiam homo amisit suam dignitatem, Ac piè scribit Lutherus, Adam post lapsum eiusq; totam posteritatem ceu cadauer et umbram existimandum esse illius primæ dignitatis ante lapsum. Nam ex immortalis factus est mortalis, ex iusto peccator, ex accepto & grato homine, homo damnatus. Ceteræ poenæ abunde in historijs sacris & profanis enumerantur, & de

Et de ijs simul quotidiana experientia subinde nos
commonescit.

Argumentum 1.

Quaecumq; Deus detestatur et assiduis poenis
punit, probare non potest. Detestatur autem et
assiduis poenis punit peccatum.

Ergo id probare neququam potest, Et per conse-
quens si neq; probat neq; uult peccatum, non est
causa peccati. Argumentum ualet à natura
contrariorum. Psal. 5. Non Deus uolens iniqui-
tatem tu es.

Argumentum 2.

Deus Pater misit filium suum unigenitum et
dilectum ad destruendum peccatum.

Ergo horribiliter irascitur Peccato, nec uolens id
nec approbans.

Ad quid profunt haec Ar- gumenta ?

Primum, ut sciamus Deum esse iustum, bonum,
et ueracem, detestantem scelera et amantem iusti-
tie et bonitatis.

Deinceps, ut agnoscamus atrocitatem peccati
et deploremus horrendam destructionem, quae
post lapsum facta est. Plato quoq; honestè loquitur
in se.

in secundo libro πολιτεω̄ν: Omni contentione pro-
gnandum est, ne quis in ciuitate, quam bene regi
uolumus, uel dicat uel audiat, seu senex seu iuuenis,
seu in Poëmate, seu alia narratione, Deum causam
esse alicui malorum. Quod neq; sanctè ita dici pos-
test, neq; utile est ciuitati, nec secum consentit in
explicatione.

Efficiens itaq; causa peccati non est Deus, sed
uoluntas Diaboli liberè et sua sponte se à Deo auera-
tentis, Et uoluntas hominis à Diabolo fraudulentè
circumuenti, & similiter à Deo sua libertate defie-
cientis, ut rursum dicetur infra de peccato Originis.
Serpens enim instigauit Euam, ut decerperet fru-
ctus de arbore interdicta, Hæc serpenti impellenti
consentit, nulla alia causa cogente, ac Adamum
quoq; in societatem inobedienciæ huius pellicit.

Obiectio I.

In oratione Dominica precamur, Et ne nos
inducas in tentationem.

Ergo Deus inducens in tentationem Autor
est peccati.

Respondetur ad antecedens, Ebraica est Phras-
is, Quia Et ne nos inducas permissionem si-
gnificat, non uoluntatem efficacem. Similis Phrasis
extat exodi 7. Obdurauit Cor Pharaonis, Item
Psal. 69. Obscurentur oculi eorum ne uideant, &
lumos

lumbos eorum semper fac uacillare, Appone iniquitatem eorum & non ueniant ad iustitiam tuam. Esaiæ 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. & oculos eius claude &c.

Obiectio 2.

Deus sustentat corruptam hominis naturam;
Ergo impellit eam ad peccandum. Resp:

Deus sustentat naturam ut suum opus, Libertatem autem uoluntatis non impedit, sed sinit hominem ea frui, Interea tamen non probat defectum ex abusu libertatis ortum.

Obiectio 3.

Peccatum est nihil seu res non positiua, Cur igitur irascitur Deus nihilo? Resp:

Nihil est duplex, Priuatium ac Negatiuum.

Priuatium est destructio in aliquo subiecto, quod adhuc extat, talis destructio in homine est peccatum, cui Deus horribiliter irascitur, Sed Negatiuum planè nihil est.

Obiectio 4.

1, Corinth. 12. Idem est Deus agens omnia in omnibus.

Ergo

Ergo etiam malas actiones in hominibus ex-
citatur & facit.

Resp:

Loquitur dictum Pauli non de uniuersali sus-
tentione, seu omnibus humanis motibus, sed tan-
tum de salutaribus Ecclesie actionibus.

DE CONTIN- gentia.

Contingentia est quando per se aliter res se
habere potest, nec fit necessariò. Opponitur autem
Necessitati, quæ aliter se habere non potest. Quod
uero sit Contingentia probatur certis argumentis.

I.

Deus condidit hominem ad integrum ordinis
intellectum & obedientiam. Homo autem illam
integritatem amisit et ordinem sibi à Deo impres-
sum transgressus est.

Ergo habuit libertatem uoluntatis auertendi
se se à mandato Dei, Et hæc ipsa libertas est fons
Contingentiae.

II.

Homo potest prestare externam disciplinam
& seruare leges à Magistratu præscriptas.

Ergo habet libertatem aliquam obtemperandi,
alias enim nihil conducerent Leges.

Quotuplex

Quotuplex est Necessitas ?

Triples: Absoluta.
 Physica, &
 Necessitas Consequentiae.

Necessitas Absoluta simpliciter est necessaria
quoniam eius oppositum simpliciter impossibile est,
ut, Deus est, Deus est iustus.

Necessitas Physica est ipse ordo naturæ, qui
nullo modo, nisi Diuinitus interrumpitur, Sicut So-
lis cursus dimicante Iosua repressus est.

Necessitas Consequentiae est, quæ quidem suâ
natura se aliter habere potuisset, sed fit necessaria,
seu quia determinata est Diuinitus, seu propter præ-
cedentes causas. Conducit hæc doctrina de Contingentia & Necessitate, ut certis testimonijs & sen-
tentijs studiosi muniantur aduersus perniciosam deli-
ria Stoicorum, qui sustulerunt Contingentiam seu
Libertatem, & dixerunt omnes actiones bonas pa-
riter & malas necessariò fieri, nec Deum aliter
quid agere posse, quam ut secundæ causæ mouent.
Præcipuum argumentum Stoicorum est, Secunda
causa non agit sine prima, Secunda, ut uoluntas
Eux, est propriè causa peccati.

Ergo etiam prima.

Solutio

Solutio. Secunda causa non agit sine prima,
scilicet sustentante, non autem semper adiuuante.

DE LIBERO arbitrio.

Liberum arbitrium est facultas uoluntatis ad
eligendum & expetendum ea, quæ monstrata sunt,
& ad reiiciendum eadem.

Regulæ 1.

Si natura esset integra, Humana uoluntas per-
fectè satisfaceret Legi, uerum in hac corrupta na-
tura perfectam & perpetuam obedientiam non po-
test præstare, sed tantum externam disciplinam seu
opera Legis utcumq; præstat. Quod autem inte-
gram Legem seruare nequeat, causa est ingens con-
fusio, quæ secuta peccatum Originis, uires natura
humane labefactauit & destruxit.

Regula 2.

Porro etsi utcumq; externam disciplinam præ-
stat, tamen & in ea seruanda impeditur duabus tri-
stibus causis, nempe sua infirmitate & Diaboli im-
pulsu ac tyrannide. Hinc oriuntur tot scelera &
E flagitia

Flagitia etiam contra externam disciplinam. Sed actiones spirituales & pios motus cordis nequaquam sua natura efficit uoluntas humana, nisi Spiritu sancto regatur, qui accendit motus spirituales, agnitionem Dei, timorem, ueram fidem & dilectionem in credentibus. Rom. 8. Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij Dei &c. Item, Si quis Spiritum Christi non habet, is non est Christi. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

Causæ igitur efficientes in nobis pios motus sunt tres.

1. Verbum Dei auditum uel cogitatum.
2. Spiritus sanctus accendens cor nostrum ad amorem uerbi & ueram obedientiam.
3. Voluntas assentiens nec repugnans uerbo Dei

Quod tamen dextrè intelligi debet. Fatemur humanam infirmitatem etiam in actionibus rationi humanæ subiectis, nedum, ut ui liberi arbitrij ad salutem nostram aliquid cooperari possimus. Fateamur hominis uoluntatem per se inimicam Deo, & ab eo auersam, Figmentum enim cordis humani malum est ab adolescentia sua Gene. 8. Ac certum est Extra Christum nullam esse salutem. Nulla hic ualet uirtus, nulla industria humana, etsi cumulatim congerantur omnia rectè, fortiter & honestè facta
Themisto

Themistoclis, Camilli, M. Attilij Reguli, Fabij Max-
ximi, Pauli Æmiliij, Scipionum &c.

Sed nihilominus experientia uniuscuiusq; Con-
scientiam docet de causis operantibus in nobis salu-
tem solius Christi merito & sanguinis sui largissima
profusione in ara Crucis reparatam, Quod uideli-
cet in conuersione hominis Deus ita agat, ut Legis
contione corda nostra ad pœnitentiam flectat, no-
bisq; annunciet Gratiam suam in doctrina Euange-
lij, per quam Spiritus sanctus efficax est, & homi-
nem trahit, ut assentiri & apprehendere possit an-
nunciatam Gratiam. Igitur non est imaginandum,
Hominem in conuersione, se ita habere ueluti sax-
um aut truncum. Cum enim hoc modo Deus
efficax esse decreuerit per uerbum, uidelicet, auditũ,
lectum cogitatum, et non aliter et reliquerit in natu-
ra hominum hoc ingens bonum quo à brutis rebus
distingui mur, ut doceri homines & persuadendo
flecti uoluntas possit, Adfirmamus hominem non
oportere uerbo audito, lecto, cogitato, et Spiritui san-
cto per uerbum efficaci & uoluntatem trahenti re-
pugnare aut aduersari. Sed luctari ut assentia-
tur &c.

Dic huius rei Testimonia ?

Gene. 4. Quare iratus es? & cur concidit
facies tua? Nonne si benè egeris, recipies? Sin au-

tem melè, statim in foribus peccatum tuum aderit?
Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi-
us. Huius testimonij postrema particula eviden-
ter monstrat perpetuam luctam esse Spiritus cum
peccato (utor Lutheri uerbis in commentario quar-
ti cap. Gene.) qui igitur stertunt & ad hanc pug-
nam se non comparant, facile uincuntur.

Psal. 37. dulcissimæ commonefactiones legun-
tur, Spera in Domino & fac bonitatem & c. Sub-
ditus esto Domino & ora eum & c. Desine ab ira
& c. Declina à malo & fac bonum, Quæ sanè ni-
hil haberent emolumenti, Si Verbo & Spiritui san-
cto excitanti in nobis novos motus pertinaciter &
malitiosè refragari uelimus.

Esaie 45. Conuertimini ad me & salui eritis
omnes fines terræ, Ibi quoq; Lutherus: Nolite mi-
hi obuertere tergum cum loquor ad uos, ait Domi-
nus, auscultate mihi idq; ex toto corde uestro, ne
aut sit simulata conuersio aut non integra.

Hæc testimonia ideo recitantur, ut piæ mentes
intelligant oportere luctam esse in conuersione. Si
enim uelimus expectare Enthusiasmos, abiecta om-
ni cura audiendi, cogitandi & auxiliante Spiritu
sancto, retinendi uerbum Dei, quid hoc aliud esset,
quam

quam repugnare & excutere dona Dei summo beneficio oblata, ueluti parabola quoque de seminatore singulos monet.

Quæ est utilitas huius doctrinæ?

1 Vt petamus auxilium Spiritus sancti in pijs motibus excitandis & retinendis. In hac enim uita post lapsum nemo salua conscientia negare potest humanæ naturæ infirmitatem & infinitos errores, quibus inuoluimur in externis quoque actionibus, ut antea dictum est, Nec ullo modo Pelagij arrogantia probetur, qui Libero arbitrio impletionem Legis tribuit, corruptæ naturæ omnino impossibilem.

2 Vt acuatur nostra diligentia in regenda externa uita, contra Manichæum inducentem Stoicam necessitatem, qua confirmatur improborum licentia quasi Deus ad malas et prohibitas actiones naturam humanam impellat, sicut Zenonis seruulus excusauit peccatum suum, quod Magistri sui Fato deliquisset.

DE PECCATO

Originis.

E. 3

Peccatum

Peccatum originis est defectus in natura seu
amissio lucis in mente & contumacia in corde rea-
pugnans mandatis & uerbo Dei. Hic defectus non
fuit in homine cum à Deo crearetur, Nam homo
conditus est in sanctitate & iusticia uera, ut ad
Ephes: 4 cap. Diuus Paulus docet.

Causa efficiens est Diabolus & uoluntas Adæ
& Eue assentiens diabolo, ut supra dictum est.

Causa formalis peccati uniuersaliter ab eru-
ditis dicitur ipse terminus, id est, reatus. Sed quia
terminus respicit fundamentum seu materiale, sci-
amus ἀταξία, seu concupiscentiam, seu confusio-
nes esse illud materiale. Est igitur formale pecca-
ti reatus. Ipsarum autem confusionem seu funda-
menti formale est defectus aberrans à Lege Dei.

Effectus. 1. Mors corporalis & ingentes
calamitates.

2. Ira Dei & eterna poena, nisi facta fuerit
conuersio.

3. Rabies Diaboli, qui imbecilles naturas ex
uno flagitio in aliud impellit.

4. Multiplex ignorantia humana & contus-
matia appetitionum, quam uocant malam con-
cupiscentiam.

Regula

Regula 1.

Peccatum Originis non est tantum imputatio qua ad mortem obligamur propter primū lapsum, sed est etiam in ipsa natura hominis propagatum malum, seu uitium in singulis nascens. Psal: 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ierem: 17. Peruersum est humanum cor super omnia & inscrutabile. Sed hanc totam doctrinam utiliter & copiose tractat Lutherus in fine octauī capitis Geneseos.

Regula 2.

In Baptismo tollitur formale peccati, id est reatus uel imputatio propter quam eterne mortis destinati sumus. In quo Baptismo etsi renouatio incipit, quam scriptura uocat nouum hominem, tamen adhuc manet reliquum materiale, id est, uitium seu mala concupiscentia.

Regula 3.

Etsi horrenda est confusio appetitionum, tamen non omnes affectus per se sunt uitiosi. Congruunt enim quidam cum Lege Dei, & ipsius uoce Legis præcipiuntur, Ac de dilectione notū est præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Item de misericordia, Estote misericordes, sicut & Pater uester qui est in coelis, misericors est &c.

Imò etiam ardentibus affectibus, ut sunt misericordia,
iusta ira, seu indignatio, in ipso Christo conspecti
sunt.

Conducunt hæc regulæ primum ad refutanda
errorem Monachorum, quia disputarunt peccatum
Originis esse tantum imputationem, & in
Baptismo ita tolli, ut postea in homine renato omnes
appetitiones bonæ sint, & nulla ex parte uicio-
sa. Sed hoc falsum esse perspicue docent superiora
testimonia. Testatur & experientia magnam
esse seu confusionem, seu imbecillitatem in renatis
quoque, cui tamen inuocatione & auxilio Spiritus
Sancti subinde repugnandum est. Deinceps rea
prehendunt simul Anabaptistarum deliria, qui Sto-
icam ἀπάθειαν probarunt, affirmantes omnes af-
fectus uiciosos & tollendos esse. Sed nos sciamus
affectus per se bonos summa cura & diligentia fo-
ueri & exuscitari oportere. Viciosos uero, quo-
rum multi per ἀταξίαν in hanc imbecillem natu-
ram irreperunt, debere extinguui.

Obiectio 1.

Nihil est peccatum nisi uoluntarium.

Morbus originis non est uoluntarius.

Ergo, morbus Originis non est peccatum.

Resp:

Non sunt

Non sunt intempestiue miscenda dicta Euangeliij & sententia Politica. Maior loquitur de iudicio forensi, quod tantum uoluntaria delicta punit. Minor autem de interna immundicie dicit, quæ coram Deo est ingens malum.

Obiectio 2.

Natura ipsa seu res naturales sunt bonæ.
Peccatum originis est res naturalis.
Ergo, Peccatum Originis est res bona.

Solutio.

Respondeo ad Maiorem. Naturalia per se quidem bona sunt, scilicet quatenus ea Deus condidit Sed per accidens, hoc est, per lapsum primorum parentum, siue per ipsam ἀταξία deprauantur. Simpliciter quoq; negatur Minor, Peccatum enim Originis non est res naturalis. Sed destructio nature, quæ à Deo in suo statu integra & incorrupta condita est.

Hæ solutiones monstrant peccatum Originis non esse extenuandum, ut fecerunt Monachi, cum sit ingens malum & horribilis morbus hærens in natura, & attrahens ingentes misérias & æternam iram Dei, nisi facta fuerit remissio.

E 5

De peccato

DE PECCATO

Actuali,

Quid uocas peccata
Actualia?

Omnes cogitationes & actiones uitiosas quae
ex peccato originis oriuntur, & cum Lege Dei
pugnant &c.

Sunt autem duplicia, Mortalia & Venialia.

Peccatum Actuale Mortale est in labente
post reconciliationem actio interior uel exterior,
pugnans cum Lege Dei, facta contra conscientiam.

Hoc peccatum adfert duplex malum, si
1 non fit conuersio. Primum enim excutit do-
2 num Spiritus sancti. Secundo facit homines
reos aeternae irae Dei. Veniale peccatum, est in
sanctis delictum propter imbecillitatem commissum,
quod non fit contra conscientiam. Saepè enim eti-
am poenitentes labuntur uel errore iudicij, uel cor-
ruptae huius naturae prauitate, etsi ijs lapsibus nequa-
quam delectantur.

Regula I

In non renatis omnia peccata sunt mortalia,
Quia cor auersum à Deo polluit omnes uirtutes
& gignit multiplicia scelera. Omne enim quod
non est ex fide peccatum est. Econtra etiamsi in
poenitentibus

poenitentibus est multiplex confusio & deformitas,
tamen quia persona est accepta propter fidem in
Christum, hæc mala sunt peccata Venialia, Sic
tamen ut prauis cupiditatibus repugnemus, &
aduersus nostram imbecillitatem auxilium Spiritus
Sancti petamus. Rom: 8. Si Secundum carnem
uixeritis moriemini, Sed si Spiritu actiones carnis
mortificabitis uiuetis.

Regula 2.

Quamuis peccata Venialia remittuntur
agentibus poenitentiam, tamen non sunt extenu-
anda, Nisi enim gratis remittantur propter meri-
tum Christi, merentur æternam iram Dei. Hinc
sequitur errorem Monachorum debere reprehendi,
qui finxerunt caligines & dubitationes de Deo,
Item carnalem securitatem esse tantum præter
Legem Dei, non autem contra Legem Dei, Hanc
regulam Paulus uenustè declarat, inquit, Sen-
sus seu actiones carnis sunt inimicitia aduersus De-
um, id est, pugnant cum lege Dei.

Regula 3.

Peccatum Mortale alio nomine uocatur
Peccatum regnans. Rom: 6. Item. Peccatum
φονικόν à Nazianzeno Porro uerbum, dominari,
significat atrocitatem & efficaciam peccati,
ti, Si

ti, Si enim peccatum dominatur gignit effectus
multiplices, id est, cumulat scelera & calamitates,
ac tandem in æternam exitium reos impellit.

Regula 4.

Imaginationes de prædestinatione hoc loco
seponendæ sunt. Nam de uoluntate Dei ex solo
Verbo iudicari debet. Est autem hæc uoluntas
Dei immota, quod puniat perseuerantes in delictis
et recipiat agentes pœnitentiam. Iuxta illud Ezech:
33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris &c.
Igitur in ijs, qui habent propositum peccandi,
omnia peccata sunt Mortalia, At in illis, qui con-
uertuntur sunt peccata uenialia. Est & expli-
canda appellatio peccati irremissibilis, quod ab
alijs peccatum in Spiritum sanctum dicitur. Au-
gustinus idem finalem impœnitentiam uo-
cat. Cognoscitur autem à posteriori tantum, quan-
do uidelicet aliquis non redit ad Deum, sed in ipsa
impietate opprimitur, uelut Pharao, Saul, Iudas,
oppressi sunt.

DE LEGE.

Quid est Lex?

Lex Dei est Doctrina à Deo tradita, præci-
piens

piens quales nos esse, quæ facere & quæ omittē-
re oporteat, & requirens perfectam obedientiam
erga Deum, ac pronuncians irasci Deum & punire
æterna morte, non præstantes perfectam obediē-
tiam.

Constat hæc definitio Comminationibus &
promissionibus Diuinis.

Comminatio extat Exodi 27. Maledi-
ctus omnis, qui non permanet in sermo-
nibus Legis huius:

Promissio sepe repetitur à Christo, Si uis in
uitam ingredi, serua mandata Dei, Item, Hoc fac
& uiues.

Quod sunt species Legis?

Tres

Aliæ enim sunt Humanæ.

Aliæ Philosophicæ.

Aliæ Diuinæ.

Discrimen inter has species hoc est: Leges
Humanæ tantum de externa disciplina præcipi-
unt. Philosophicæ Leges aliquantò amplius do-
cent. Requirit enim non tantum externam disci-
plinam, sed etiam interiorem quandam affectuum
moderationem.

At Lex Dei ultra externam disciplinam
& affectuum moderationem, postulat etiam
interiorem

interiorem mundiciem, hoc est, Lex Dei flagitat
cor rectè de Deo sentiens, & uoluntatem firma
fiducia & obedientia amplectentem promissiones
& præcepta Dei.

Regula.

Sicut Iudei non poterant uidere fulgentem
faciem Moysi descendentis de monte Sinai, ita huma
ratio per se integram Legem non cognoscit, Sed
tantum externam disciplinam seu umbram Legis
admiratur. Recitatur hæc imago ut fugiamus
falsam opinionem eorum, qui magnitudinem Legis
& peccati extenuant, dum comminiscuntur Le
gem tantum de externa disciplina præcipere, &
à nobis præstari posse. Duæ sunt causæ pro
pter quas Lex Diuina in monte Sinai promul
gata est, cum inde usq; ab initio sonuerit in Ec
clesia. 1. Ut obscurata lapsu primorum paren
tum renouaretur. 2. Ut Deus suum iudicium ad
uersus peccata publico testimonio ostenderet.

Subdiuisio.

Quot habet partes Lex
Diuina?

Tres

Moralem.

Forensem. &

Ceremonialem.

Regula

Regula.

Posteriores duabus speciebus nos non obligamur. Tradite enim sunt in Regno Iudaico, precipue ob hanc causam, ut esset certa Politia, in qua Christus nasceretur.

Lex uero moralis ad omnes creaturas rationales pertinet. Est enim immota regula in mente Diuina, quæ in Decalogo expressa est, Sunt autem de lege Morali seu ipso Decalogo quatuor cogitanda.

1. Qualis fuerit dignitas & puritas humane nature ante lapsum, talis nempe, qualem Lex describit, plena agnitione Dei & omnium uirtutum, absq; confusione et mala concupiscentia.
2. Quam ingens & atrox sit humana miseria post lapsum. nempe plena tenebrarum & horribilium confusionum, præterea subiecta ingentibus calamitatibus & pœnis.
3. Quod aliquando reparatio generis humani futura sit.
4. Ut considerata magnitudine iræ Dei, quam Lex ostendit, confugiamus ad meritum filij Dei.

Diuisio Decalogi.

Decalogus, qui est summa Legum Moralium diuiditur

- 1 diuiditur in duas tabulas. Prima, continet opera,
2 quæ ipsi Deo sunt præstanda. Secunda docet opera
erga homines & communem societatem.

Regula.

Etsi opera primæ tabulæ præstantiora sunt
reliquis operibus, tamen & reliquæ uirtutes fiunt
cultus Dei, cum fiunt in fide & ad hunc finem refe-
runtur, ut Deo præstetur obedientia & honos.

Huc referatur explicatio decem præcepto-
rum ex Catechismo Lutheri aut ex ipsis Locis.

DE VSU LEGIS.

Potest ne humana natura
post lapsum integrè præ-
stare Legem?

Non potest. Nam in hac natura lapsa sunt
dubitationes & auersio cordis à Deo pugnans
cum lege Dei, Sicut Daniel : 9. cap : dicitur. Tibi
Domine iusticia, nobis autem confusio. Item,
Psal : 143. Ne intres in iudicium cum seruo
tuo, coram te enim non iustificabitur omnis
uiuens.

Ad

Ad quid igitur Lex condu-
cit, si neq̄ sumus iusti Lege
neq̄ possumus præsta-
re Legem.

Etsi Legi satisfacere non possumus, tamen
sciamus eam habere triplicem usum.

I.

Primus usus est Pædagogicus, seu politi-
cus, coercens disciplina audaces & iniustos. De
hoc officio legis loquitur Paulus 1. ad Timotheū ¶.
Lex est iniustis posita. Item, Deuter: 19. Au-
feres malum & non miserearis eius, ut ceteri timo-
rem habeant. Ideo etiam præfecit Deus Magi-
stratus, ut Legis autoritatem & disciplinæ uincula
seuere defendant.

II.

Secundus usus Legis est Spiritualis, ut ui-
delicet Lex accuset & damnet peccata humani
generis in hac corrupta natura. Hanc ob causam
in concionibus omnium Prophetarum uox legis
sonat. Est enim præcipuum Legis officium
accusare & damnare perterrefactas conscientias
monstrata ira Dei aduersus peccata. Huc per-
tinent dicta Pauli ad Rom. 4. cap: Lex iram
efficit.

F

efficit.

efficit. Item ad Rom. 7. Per Legem peccatum
fit excellenter reum. Terremur autem uoce
Legis, non ut percamus, sed ut deprecemur culpam,
agnitis peccatis, & confugiamus ad Mediatorem
Christum.

III.

Tertius usus Legis est, ut sciamus quæ ope-
ra facienda sint. Est enim hominum natura procli-
uis ad fingendum novos cultus. Sciamus autem e-
tantum opera esse præstanda, quæ Lex præcipit.

CONTRA ANTI- nomos.

Nequaquam uociferacionibus quorundam ap-
plaudendum est, qui sub prætextu doctrine Iusti-
ficationis coram Deo, propter Christi summi pon-
tificis & saluatoris nostri obedientiam, Legis do-
ctrinam omninò ex Ecclesijs tollendam censent,
Quemadmodum ipsorum propositiones de hac re
olim sparse impudenter docent: Lex non est digna
ut uocetur uerbum Dei, Etsi commiseris adulteri-
um aut scortatus fueris, siue alioqui te manifesto &
turpi scelere pollueris, tamen in hoc scelerato pro-
posito tuo, si modo credis, acceptus & iustus es ac
salutem consequeris. Decalogus spectat ad Ma-
gistratus officium non ad Ecclesiasten, Quicumq;
Mosis

Mosis doctrinam & decem præcepta tractant, in
perniciem ruunt, Ad restim cum Mose.

Quibus rationibus confirmas, Le-
gem omni cura ac diligentia incul-
candam auditoribus, sed ita ut
discrimen Legis & Euan-
gelij fideliter tra-
datur ?

Responsio. Sicut Maiestas Dei ex arcana sede
post lapsum prodiens terruit conscientiam Adæ &
Eue, dum arguit eorum inobedientiam, eisq; pœ-
nam temporalem & æternam irrogat : Sicut deim-
ceps idem Deus per Mosen & Prophetas concio-
nem pœnitentiæ uoce Legis comprehensam homi-
nibus multoties proponit : Ita nunc quoq; ac om-
nibus temporibus uocem Legis suo loco uult sonare,
& seriò præcipit Apostolis & reliquis ministris, ut
reprehendant mundi flagitia, & impœnitentibus ac
securis fideliter præcepta Dei inculcent, Matth. 5.
Vos estis sal terræ &c.

Primum enim Peccatum liquidius ostendi &
ira Dei magis acui & exaggerari non potest,
quàm terribili Legis uoce operantis iram & con-
scientiam ream facientis ad Rom. 7. Quid ergo di-

cemus? Lex peccatum est? Absit, Sed peccatum non cognoui nisi per Legem.

2 Secundò, Pium est cogitare, quid aeterna Dei sapientia à nobis flagitet, & quam ingens & inefabilis sit iustitia ipsius, cuius radios summa bonitate in Creaturas racionales transfudit, De qua re legis doctrina nos utiliter monet.

3 Tertiò, Nemo magnitudinem & efficaciam summi sacrificij Filij Dei offerentis se hostiam Deo patri pro peccatis nostris intelligeret, nisi prius Lex omnes homines suæ immundicie, horribilis confu- sionis, & multiplicium errorum atq; scelerum ar- gueret, de quibus conuicti tandem mentem, cogita- tionem & omne propositum à proprijs meritis ab- ducere, & Christi opem atq; auxilium expetere in- cipiunt.

4 Quartò, Vult Deus reconciliatos, quantum in hac infirmitate fieri potest obtemperare suis præ- ceptis, ueluti Christus perspicue docet, Non ueni ad soluendum, sed ad implendum Legem. Rom. 6. Quid ergo peccabimus cum non simus sub lege, Sed sub gratia? Absit, An nescitis &c. Id est, causa finalis reconciliationis est, ut restituatur aeterna conformitas cum Deo, sint igitur actiones confor- mes.

De

DE BONIS OPERIBUS,

I.

Quæ opera facienda sunt?

Quæ nobis in Decalogo præcipiuntur. Est uero iterum hoc loco notandum, opera primæ tabulæ esse præstantiora operibus secundæ tabulæ. Non igitur assentiamur aduersarijs, qui tantum externæ disciplinæ hypocrisin admirantur, & præstantissima opera primæ tabulæ prorsus negligunt, cum absq; fide nullum opus Deo placeat, iuxta illud. Quod non est ex fide, peccatum est.

II.

Quomodo possunt fieri bona opera?

Humana diligentia utcunq; regere potest externam disciplinam, sed internam obedientiam sine agnitione Euangelij et Spiritus sancti auxilio, nullo modo præstat. Nam in hac corrupta natura internam obedientiam non ex iudicio rationis, sed ex Euangelio tantum discimus. Audita uero Euangelij uoce accedit Spiritus sanctus erigens promissionibus corda & accendens nouam obedientiam in

nobis. Zachar. 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiae & precum. Porro cum magna sit astutia Diaboli grassantis in genere humano, partim corruptelis doctrinarum, partim caecidibus & alijs flagitijs, petamus à Spiritu sancto auxilium contra insidias Satanae, & rogemus ut nos in uera fide, inuocatione & pijs actionibus prestandis confirmet.

III.

Quomodo placent bona opera?

1 Placent inconuersis ad Deum hoc modo. Primum statuat Persona quod sit iusta & reconciliata Deo propter mediatorem non propter propriam dignitatem: Secundo meminerit non posse nos in hac deprauatione legi Dei satisfacere, et hærere etiam in renatis et iustificatis multa peccata interiora quibus tamen repugnant hi qui uere conuersi sunt. 2 Tertio sciant aliquam oportere obedientiam inchoari quantulacumq; illa sit & hanc placere Deo propter mediatorem, perinde ut persona accepta est & placet. 3

IIII.

Propter quas causas facienda sunt bona opera?

1 Prima causa est necessitas mandati & debiti sicut inquit Paulus Debitorum sumus Dei, non carnis.

Secunda

Secunda est necessitas fidei, quæ in nobis nec
lucere nec existere putanda est, nisi effectus eius seu
fructus digni poenitentia sequantur Rom. 8. Si acti-
ones carnis Spiritu mortificaueritis uiueuis, Gala. 5.
In Christo Iesu neq; circumcisio quicquam ualet
neq; præputium, Sed fides per charitatem operans.
Item Fidei fructus charitas est, gaudium, læticia,
continentia, modestia, castitas &c.

2

Tertia causa est, Necessitas uitandi pœnas præ-
sentes & futuras.

3

Quarta causa est, ut consequamur præmia

4

Etsi enim opera nostra non merentur re-
conciliationem, quæ donatur gratis pro-
pter Christum, tamen in reconciliatis pla-
cent opera, & merentur præmia corpora-
lia & spiritualia, iuxta consilium Dei. Est
enim disciplina pædagogia in Christum. In
illis enim qui cõtra conscientiam sceleribus
sese polluunt Spiritus sanctus non est effi-
cax.

Cum uero multum referat imperitam multi-
tudinem commonesieri, de obedientia Deo debita,
ne existimet uulgus fidem rem esse languidam &
ociosam, ac cœco impetu in quæuis scelera & flas-
gitia feratur, Vtiliter faciunt, qui rudes animos hac
doctrina uerè & salutariter instituunt. Sit itaq;
totius huius doctrinæ Scopus dictum Pauli Gala. 5

F 4

Fructus

Fructus Fidei caritas est &c. Quod dictum
planè congruit cum propositione, Nova obedientia
post reconciliationem est necessaria, hac tamen
cautione, ut nostra opera sint effectus fidei, non me-
ritum & precium uitæ æternæ.

Quomodo id probas?

1
Primò perspicuis & evidentibus sententijs
Scripturæ, Psal. 5. Quoniam non Deus uolens ini-
quitate &c. Ezech. 33. Vivo ego nolo mor-
tem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: V-
trumq; complectitur Propheta, Fidem & nouam
obedientiam. Imò in hoc breui dicto integra do-
ctrina ueræ pœnitentiæ proponitur, in qua flagitas-
tur ardens dolor propter delicta ac uicissim fiducia
misericiardiæ diuinæ, quam tandem obedientia, quæ
in nouitate uitæ consistit necessariò comitatur.
Matth. 5. Inquit Filius Dei: Luceat lux uestra
coram hominibus. Acto. 26. Profitetur Paulus
coram rege Agrippa: Non fui inobediens coelesti
uisioni, sed his qui sunt Damasci primum & Hiero-
solymis, & per omnem regionem Iudææ, deinde &
gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, &
conuerterentur ad Deum, opera facientes digna his
qui resipuissent. Rom. 8. Proinde fratres debi-
tores sumus non carni &c. Ephes. 2. Conditu su-
mus

mus in Christo Iesu ad opera bona, quæ preparauit Deus, ut in eis ambularemus, id est, accepti sumus coram Deo gratis propter Christum, Sed acceptationem gratuitam necessario deinceps sequuntur effectus fidei. In 5. cap. eiusdem Epistolæ perpetua & grauis exhortatio extat ad quæuis bona opera à Deo mandata: Ambulate ut filij lucis etc. Tit. 2. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus erudiens, nos ut abnegata impietate et concupiscentijs etc. 2. Pet. 1. Subministrate in fide uestra uirtutē etc. Itē, Quapropter fratres magis satagite etc. Huc simul referri potest doctrina Catechesos, quid quemlibet in suo statu & uitæ genere iuxta uoluntatem Dei instituere & efficere deceat, Quæ doctrina inanis & ociosa foret, si non secundum hanc normam à Spiritu præscriptam tota uita & omnes actiones informandæ & regendæ essent.

Secundo, Accedunt ueterum Ecclesiasticorum scriptorum testimonia, ex quibus, unum atq; alterum recitabimus. Augustinus de Gratia & Libero arbitrio: Opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides. Hieronymus. Quis uerè credit exclusis operibus? non tamen meritum bonorum operum ad fidem adducit, sed fides incipit, ut bona opera consequantur. Origenes
F 5 in Epist.

in Epist. ad Rom. lib. 4. Initium iustificationis
est ipsa fides in Christum, quæ si uera fuerit, ueluti
radix suscepto imbri hæret in animæ solo, ut cum
per legem excoli cœperit, surgant in ea rami, qui
fructus operum ferant.

3

Tertio, Lutherus eandem hanc doctrinam
in multis concionibus urget, à quo in primis Iustifi-
catio hominis peccatoris coram Deo absq; ulla dig-
nitate & uiribus humanis summa dexteritate tra-
ctatur. Deinceps addit hanc ueram & necessa-
riam doctrinam de nouitate uitæ. Expresse enim
affirmat in explicatione Epistolæ, quæ prælegitur
Dominica Reminiscere: Fert quidem Deus delin-
quentes, uult tamen ut infirmitatem et lapsus agno-
scant, eòq; progrediantur, ut prioris uitæ culpam
emendent, atq; subindè perfectiores reddantur, ne
diuina sua gratia sit operculum immanium flagiti-
orum, nèue petulantes & securi homines libertate
regni Christi abutantur ad defendendam malitiam
& quæuis scelera. Item in enarratione Epistolæ
quartæ feriæ Paschatos, Si una cum Christo resur-
rexistis, quæ in coelis sunt, quærite, Non enim iacti-
tare nobis conuenit nudis tantum uerbis salutem,
nec Christus id duntaxat quærit, ut obiter tantum
liberationem à se factam audiamus, et inani sermone
efferamus, Sed ut in tota uita nostra, meritum eius
se ipsa sentiamus. Quid enim iuuat multa uerba
ad Mora

ad Mortuum quendam facere de uita dulcedine, si non reuiuiscat? aut ad hominem consultò peccantem de Iustitia, si in delictis sponte perseueret? aut Pseudoprophetae & sectarijs de ueritate, siquidem errorem neq; agnoscunt neq; abijciunt? Item in explicatione Euāgelij quartæ Dominicæ Aduentus, Necessè est singulos summa animi cura, intentione & studio in id incumbere, ut bene agant. Nam hoc ipsum Deus in Decalogo præcepit, quem non frustra de coelis per Mosen nobis obtulit. Decalogus est Verbum Maiestatis suæ, ob hanc causam uult, ut seruemus mandata in Decalogo comprehensa. Quapropter unusquisq; credentium operam det indefessam, ut uita sit conformis Legi diuinæ, atq; hoc modo se obedientem & gratum Deo exhibeat.

Quartò, Non desunt exempla. Commendat scriptura obedientiam Abrahæ posteaquam Deo per fidem placuit. Regius Propheta auscultat seueræ reprehensionis Prophetae Nathan, qua percussus & territus conuertitur ad Deum, petit se purgari byssopo, hoc est, sanguine promissi Messia, & ardentibus uotis precatur: Cor mundum crea in me Deus &c. Promittit simul gratitudinem: Docesbo iniquos uias tuas &c. Illustre exemplum est in Zachæo post conuersionem affirmante, se dimidiam partem facultatum suarum conferre in pauperes.

Quintò

Quintò, Non desunt similitudines hanc doctrinam illustrantes, Sole emergente, ilicò lux oritur, Ignem comitantur splendor & calor: Ita impossibile est fidem ociosam latitare in conuersis absq; charitatis, mansuetudinis, & aliarum uirtutum sedulitate.

DE DISCRIMINE consiliorum & præceptorum.

Monachi hoc discrimen fecerunt inter consilia & præcepta. Præcepta dixerunt esse noticias nobis naturaliter insitas & uoce Dei promulgatas, quæ omnes obligant. Consilia uero esse doctrinam Christi de Vindicta, de Paupertate, de castitate perfecta, & similibus rebus, quas falso extruxerunt ex quinto capite Matthæi & plerisq; alijs concionibus Christi, Et addunt hæc consilia non uniuersaliter ad omnes spectare sed specialiter tantum ad eos qui perfecti sunt.

Sequitur uero hoc figmentum triplex error. Nam primo extenuant Monachi legem Dei ac ficticios cultus ipsi legi Diuinæ præferunt. Secundo gignunt multa absurda de perfectione. Aiunt enim hanc perfectionem esse integram obedientiam, quæ
homines

homines coram Deo iustos faciat, cum manifestum sit neminem in hac corrupta natura perfecte obedire posse legi Dei, & idcirco ad solius Mediatoris Christi merita confugiendum esse. Tertio somniant Legem Dei tantum de externa disciplina concionari.

Hos errores refutant grauisima dicta Christi, quae testantur doctrinam de Vindicta, Paupertate, Castitate & similibus non esse consilia & externam tantum simulationem probitatis, sed esse praecepta quae ipsi Decalogo inclusa sunt, ac omnes homines pariter obligant. Inquit enim Christus disertis uerbis, Nisi uestra iusticia plus abundauerit quam Scribarum & Phariseorum, non potestis ingredi in regnum caelorum. Item, Diligite inimicos uestrosetc. Nam si dilexeritis eos, qui diligunt uos, quod praemium habetis? Nonne & publicani idem faciunt?

Haec testimonia certe non sunt consilia aut Stoica hyperbolae, sed serio affirmant. Deum requirere perfectam obedientiam, interiorem & exteriorem, non simulatam tantum, qualis est in Monachis, Ac uere irasci naturali prauitati, maxime ob hanc causam, ut agnita nostra infirmitate, deploremus eam & quaeramus misericordiam confugiendo ad Filium Dei: Ut uero tota res melius intelligatur, dicendum est primum de uindicta, deinde aliquid etiam addendum est de paupertate & castitate.

De

DE VINDICTA.

Duplex est uindicta, Publica & Priuata
Quandocunq; igitur prohibetur in Euangelio
Vindicta, non publica sed priuata intelligenda est.
Hæc enim prohibetur propter duas causas.

Prima, quia sæpe ex priuata cupiditate Vindictæ oriuntur pernitiōsa certamina in Ecclesijs & rebus publicis.

Secunda, quia Deus subiecit genus humanum certis iudicibus, quos uult punire scelera ut conspiciatur ira Dei aduersus peccata, utq; defendatur pax & disciplina, nec turbetur ordo à Deo institutus seu manu seu alio modo. Prohibuit etiam Christus tam seuerè priuatam Vindictam, ut eximeret Apostolis falsam opinionem de mundano regno Christi.

Euangelium itaq; non prohibet uindictam publicam, nec dat consilium de officio Magistratum, sed approbat et conseruat hunc ordinem à Deo institutum, Teneatur igitur hæc regula de Vindicta publica: Magistratus puniat propter mandatum Dei & exerceat pœnas iuxta Leges. Reus subeat pœnas, ut quoq; obtemperet Deo. Vfus huius regule est munitio imperiorum & pacis.

Obiectio I.

Vim

Vim ui repellere licet.

Ergo priuata Vindicta conceditur. Resp:

Hoc dictum, Vim ui repellere licet, non approbat priuatam cupiditatem ulciscendi, sed necessariam tantum defensionem, cum Magistratus opitulari non potest.

Est igitur circumscriptum certis metis. Fundamentum autem huius dicti & necessariae defensionis est naturalis *λογη* adpetens sui conseruationem. Nec pugnat cum hoc dicto sententia Christi. Qui accipit gladium, gladio peribit. Nam accipere gladium est stringere gladium non datum à Legibus, Ergo qui vim iniustam infert, accipit gladium. Contra uero qui iusta defensione utitur, ut in casu necessitatis, non accipit gladium, sed stringit datum à Lege naturali.

Porro sententia Christi habet duplicem utilitatem, Primo ut teneamus discrimen inter Magistratus & ministros Verbi, Magistratui Deus gladium tradidit, ita, ut iuxta officium legitimum, eo utatur. Ministris autem Verbi dedit autoritatem coercendi contumaces uerbo, non gladio aut ui corporali. Secundo, Ut sciamus Ecclesiam Diuinitus defendi & liberari.

Obiectio 2.

Christus

*Christus inquit, Si quis tibi impegerit alapam
in dexteram maxillam, porrige ei et alteram,
Ergo tollit uindictam publicam.*

*Responsio. Iulianus Apostata præclare exagis-
tat hæc uerba Filij Dei. Refutarunt quidem has ca-
lumnias Nazianzenus & Ciryllus, qui tamen & ipse
si frigidè respondent. Distinguunt consilia & præ-
cepta, cum Responsio uera, firma & luculenta
hæc sit: Euangelio maxime confirmari & muniri
politicum ordinem. Nec prohiberi uindictam ora-
dinatam, quæ ad officium Magistratus pertinet,
sed inordinatam, quam priuati exercent.*

DE PAUPERTATE.

*Quot sunt membra huius
loci de Pauper-
tate.*

*Duo: Primum præcipit de conseruatione
facultatum, alterum de Tolerantia in ferenda
Paupertate. Conseruatio facultatum seu di-
stinctio Dominiorum extra necessitatem confessionis
non est prohibita, Idq; probatur hoc argumen-
to. Euangelium non tollit ordinationem diui-
nam, Distinctio rerum est ordinatio diuina,
Ergo,*

Ergo, Euangelium non tollit distinctionem rerum,
Minor confirmatur uoce Legis. Non furtum
facies, Deinde multa sunt exempla piorum, qui o-
pulenti fuerunt, & tenuerunt proprias facultates,
ut, Ioseph, Daniel, Nabuchodonosor, Dauid, Cyrus,
Cornelius, Centurio &c, Sed in distinctione domi-
norum hæc obseruentur.

Primo, ut conseruemus & augeamus facultates,
bona conscientia & seruata equalitate in con-
tractibus. Secundo, ut liberalitatem exerceamus in
iuuandis egenis propter Deum. Liberalitas enim
meretur magna præmia, & exercet fidem ac dile-
ctionem, Sicut exemplum Viduæ Sareptanæ docet.
Sit tamen libertatis modus, qui à Salomonæ breuiter
& erudite describitur. Bibe aquam è tuis fontibus,
& tui fontis riuulos bibe. Fontes tui foras deriuen-
tur, & riuui effluant in plateas, At tu Dominus esto
horum solus, non alieni tecum, Benedicetur enim
fontibus tuis. Continet hoc breue dictum grauissi-
mam doctrinam.

1. Prohibet furta, dicit enim, Bibe è fontibus
tuis, & non ex alienis.
2. Approbat proprietatem.
3. Præcipit liberalitatem.
4. Ostendit modum liberalitatis.
5. Concionatur de præmijs & fide.

G

Hinc

Hinc sequitur Platonice communicationem rerum execrandam esse. At discessio à facultatibus, quam Monachi præcipiunt adfert mendicitatem & speciem furti. Secundo ostendit appetitionem melioris culinæ seu luxus.

Obiectio.

Qui reliquerit Patrem & Matrem, aut agros propter nomen meum, Centuplum accipiet & sortietur hereditatem uitæ æternæ.

Ergo deserendæ sunt facultates. Resp:

Duplex est disertio facultatum. Aut enim, sit mandato Dei in confessione aut Vocatione, Hæc sepe repetitur in Euangelio. Sæpe enim necesse est deserere facultates & offendere magnorum & laudatorum hominum uoluntates, Quod cum difficile sit, Christus & Apostoli subinde præcipiunt anteferre Euangelij confessionem omnibus rebus. Deinceps addunt etiam promissiones. Testimonium utriusq; rei extat Deut: 33. Hæc est tua Lex, quæ data est uiro sancto tuo, quem probasti in Massa, qui dicit Patri suo & Matri suæ, nescio uos, & fratribus suis ignoro. illos, et nesciunt filios suos, Hi custodiunt eloquium tuum et pactum tuum seruant, et iudicia tua ô Iacob, et Legem tuam ô Israel, Ponent thymiamam in furore tuo, et holocaustum super altare tuum, Benedic Domine fortitudini eius, et opera manuum eius suscipe, percute dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum non consurgant. Tri

Tria complectitur hoc testimonium.

1. Commendat certum genus doctrine Leuitice familie, & uetat aliud suppositivum docere.

2. Precipit constantiam in confessione & iubet subire certamina, pericula, odia, & supplicia propter confessionem, quæ omnibus rebus anteferenda est.

3. Addit promissionem & consolationem.

Aut fit desertio facultatum sine Vocatione & extra casum necessitatis, et est superstitiosa ac impia fingens uotum & mendicitatem esse cultum Dei. Ideo taxatur à Christo his uerbis: Frustra colunt me mandatis hominum.

Alterum membrum de ferenda paupertate proponit consolationem. Cum enim egestas duriter omnibus temporibus exerceat Ecclesiam, Propheta & Apostoli multa præcepta de constantia & ferenda paupertate tradiderunt. Deinceps adiecerunt quoque consolationes, in quibus promittitur Deum opitulaturum esse egentibus. Sunt autem in ferenda paupertate tria obseruanda.

1. Voluntas Dei in affligendo non ut perdat, sed ut exerceat in nobis fidem ac inuocationem.

2. Obedientia, iuxta illud Petri: Humiliamini sub potenti manu Dei.

G 2

3. Cons

3. Constantia ne frangamur ærumnis & inopia,
sed ut uigilantiores & alacriores simus in
spe & expectatione futuræ liberationis.
Hanc constantiam præcipit Christus, cum
ait, Beati pauperes Spiritu. Huc re-
ferantur exempla sanctorum, qui magno
animo seruarunt constantiam in pauper-
tate & afflictionibus. Cuiusmodi erant
Ieremias & pleriq; Prophetæ, Baptista,
Christus, Apostoli & multi martyres
summo loco nati, excussi ex facultatibus,
ut Attalus Pergamenus, cuius Martyrium
recenset Eusebius lib. 5. Cap. 1.

DE CASTITATE.

Seuerissime punit Deus omnes commixtiones
extra Coniugium. Cum enim ipse sit castus,
requirit etiam ab hominibus castitatem, ut uersicu-
lus monet: Casta Deus mens est casta uult mente
uocari. Confirmatur propositio multis testimo-
nijs & exemplis pœnarum.

Ebræ. ultimo: Fornicatores & adulteros iu-
dicabit Deus.

1. Corinth. 6. Ne errate, Fornicatores,
idolatræ, adulteri non possidebunt regnum Dei,
fugite scortationem. 1. Thessal: 4. Hec est
uolun

uoluntas Dei sanctificatio uestri, ut abstineatis à
scortatione, & sciat unusquisq; uestrum possidere
uas suum in sanctificatione & honore, non in as-
fectu libidinis sicut Gentes.

Exempla pœnarum in ueteri testamento sunt,
Diluuium, Interitus, Sodomæ, Duodecim Princi-
pes populi Israel. Funditus extirpati propter libi-
dines Cananæi, Tribus Benlamin tota ferè deleta
propter stupratam Leuitæ uxorem. Pœna Dauis
dis, Cœcitas & idolatria Salomonis, Et Ieremias
sepe inter causas excidij Hierosoylmæ recenset
Adulteria.

Apud Ethnicos uero excidium Troiæ, Mu-
tatio Reipublicæ Romanæ, quæ bis facta est pro-
pter stupratam Lucretiam, & propter uiolatam
Virgineam, Item filij Pisistrati eiccti sunt propter
contumeliam factam Puellæ &c.

Commonefacti itaq; his pœnis discamus amare
& tueri Castitatem.

Est autem Castitas uitare omnes commixtio-
nes à Deo prohibitas, aut in consuetudine coniu-
gali aut puritate uitæ cœlibis, in his qui sunt idonei
ad cœlibatum, in ætate immatura, aut in ijs qui sin-
gulari dono præditi sunt.

Regula.

Ætas immatura mediocri diligentia pure
potest

potest uiuere. Caueat itaq; insidias Diaboli p̄ijs
precationibus & studijs. Caueat etiam praua so-
dalia, uoluptates & turpe otium. Nam hæ
causa non raro multis uitijs immaturam quoq; æta-
tem implicant. Ceteri qui sunt idonei ad cœliba-
tum fruantur hoc dono cum gratiarum actione, &
in seruiant Ecclesiæ ac Reipublicæ commodis. Aetas
autem matura agnoscens se non esse idoneam ad cœ-
libem uitam, contrahat matrimonium iuxta man-
datum Dei.

Causa efficiens Coniugij est ipse Deus, Qui
statim in Paradyso post conditum hominem sanxit
Coniugium, & post lapsum idem renouauit, Gene :
2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus
ei adiutorium. Item, Erunt duo in carnem unam,
id est, inseparabiliter iuncti.

Causa finalis Prima, Est conseruatio gene-
ris humani, in quo Deus uult coli & in-
uocari.

2. Ut uitetur scortatio.

3. Ut sit exercitium fidei inter coniuges.

4. Ut bona conscientia, & pura mente
Deum inuocare possimus, & ut nos admo-
neat de imagine sponsi Christi erga spon-
sam Ecclesiam.

Obiectio

Obiectio I. Monachorum.

Paulus inquit, Melius facit non elocans,

Ergo Virginitatem antefert Coniugio. Resp:

Loquitur Paulus de idoneis personis. De cæteris uero inquit, Vitandæ scortationis gratia, unusquisq; habeat uxorem. Item melius est nubere quam uri.

II.

Bonum est homini non tangere mulierem.

Ergo Coniugium est malum. Resp:

Non sunt immediate contraria. Est enim medium inter bonum & malum morale, quod uocatur α.δ.ι.α.φ.ο.γ.ο. Commendat Paulus hoc loco etiam cœlibem uitam in ijs, qui sunt dono Castitatis præditi. Non quod cœlebs uita mereatur Remissionem peccatorum & uitam æternam, quæ à solo Christo fide petenda & expectanda sunt. Sed iuxta fines utiles in hac uita. Expeditius enim genus uitæ cœlibis est ad pleraq; ministeria, quam Coniugalis.

Nos econtra opponamus Monachis hoc firmum et immotū argumentum, quod est ductum à genere.

Ordinatio Dei anteferenda est humanis legibus.

Coniugium est ordinatio Dei.

Ergo coniugium anteferendum est humanis legibus ab ijs, qui bona conscientia cœlibes uiuere nequeunt.

Si quis præter hanc commonefactionem de præceptis et consilijs uberiores explicationem requirit, Is legat duodecim consilia Euangelica in farragine disputationum, quæ in fine annexa est Tomo primo Lutheri latinorum operum pag. 409. facie altera editionis Vuitebergensis anni &c. 49.

DE EVANGELIO.

Euangelium, usitate scriptoribus Græcis Plutarcho & Apiano significat simpliciter ipsum Sermonem læta nunciantem. Sic et Apostoli locuti sunt, & ante eos septuaginta interpretes. Nec illi consuetudini anteferatur significatio alia rara, de præmio.

Quid est Euangelium ?

Prædicatio pœnitentiæ, & promissio, quam ratio non tenet naturaliter, sed reuelata diuinitus in qua Deus pollicetur, se propter Christum filium suum GRATIS remittere peccata, & nos pronunciat iustos, id est, acceptos, & uiuificat credentes filius Dei, & donat eis Spiritum sanctum, & uitam æternam.

Complectitur hæc definitio tria beneficia Euangelij.

1. Est remissio peccatorum & acceptatio gratuita.

2. Donatio Spiritus sancti.

3. Hære

3. Hereditas uitæ æternæ.

Estq; hæc ipsa definitio contexta ex uerbis Christi, Lucae ult: Vbi iubet docere pœnitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo.

Similiter ex dicto Iohan: 16. Spiritus sanctus ubi uenerit arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Atrocissimum peccatum est ignorare Filium Dei. Hoc peccatum etsi in primo præcepto extra Euangelij patefactionem taxatur, Non habebis Deos alienos; tamen de incarnato filio Dei & de fide in eundem explicatè nihil tradit 1 Iohann. 1; Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Quomodo igitur Lex de hoc omnium maximo peccato mundum arguere & homines perterrefacere potest? Quapropter terror conscientie ob contemptum filij Dei incarnati ex Euangelio non ex Lege conscientijs incutitur. Ex quo manifestum est, Euangelium esse quidem propriè prædicationem gratuita reconciliationis, Sed ita ut simul ob oculos securis & impœnitentibus ponat perniciosum illud & horribile peccatum contemptus Filij Dei & incredulitatis. Grauisimè hanc rem Lutherus tractat ad Galatas 3. Scriptura conclusit omnia sub peccatum, Vbi? Primum in ipsis promissionibus de Christo, ut Gen. 3. Semen mulieris conteret caput serpentis. Et Gen.

22. In semine tuo, &c. Vbicunq; igitur est promissio in scripturis de Christo, Patribus facta, ibi promittitur benedictio, hoc est, iustitia, salus & uita aeterna. Ergo per contrarium ostenditur eos, qui benedicendi sunt, subiectos esse maledictioni, hoc est, peccato et aeternae morti, alioqui quid opus esset promittere benedictionem? Deinde scriptura praecipue per ipsam Legem concludit homines sub peccatum & maledictum, ut cuius proprium officium est reuelare peccatum, operari iram &c. Et paulo post, Omnia sunt damnata, per quid? Per scripturam, Quam? Primum per promissionem hanc, Semen mulieris &c. In te benedicentur &c. & similes. Deinde per totam Legem, cuius propriissimum officium est, peccato subiicere &c. Item in Ioële 3. Et Dominus de Zion rugiet atq; de Ierusalem dabit uocem suam, ibi similiter scribit Lutherus, Etsi haec repetitio ociosa uideri potest, tamen aptissime quadrat ad ministerium Euangelij, Sicut enim Christus iubet in nomine suo docere poenitentiam & remissionem peccatorum, poenitentiae autem doctrina arguit peccata & terret animos metu irae & iudicij Dei, Ita primo loco rugitus hic ponitur, qui doctrinae de poenitentia Symbolum est &c. Item, Cur autem facit hoc Deus, Cur ad hunc modum miseram naturam terret? Primum fit hoc, ut conspecta nostra miserabili conditione,

one,

one, doctrinam Filij Dei de gratuita peccatorum remissione avidius amplectamur, Deinde etiam ad gloriam suae misericordiae patefaciendam. Quomodo enim beneficium ab eo agnosci potest, qui nullum sensit incommodum? Dei igitur immensa bonitas in eo elucescit, quod miseris peccatoribus & aeternae morti addictis, gratiam peccatorum facit, & haeredes aeternae vitae constituit. Salutaris igitur rugitus ille est, etsi formidabilis & plenus terroris sit. Post rugitum autem ex Zion, etiam uocem dat ex Hierusalem, hoc est, loquitur blandius, nec amplius terret, sed consolatur animos, Proponit Patris sui clementissimum animum, iubet respici in crucem suam &c. Hactenus Lutherus.

Duo sunt discrimina Legis & Euangelij. Vnum legis promissio est conditionalis, requirit enim conditionem impletæ legis. Euangelij uero promissio, est gratuita. Alterum, Legis doctrina est aliquo modo nota rationi, Ideo citius assentiuntur homines promissioni legali, quam promissioni gratuite. At Euangelij doctrina est nobis diuinitus reuelata à Filio Dei & rationi plane ignota, Iohan: 1. Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Ideo & Paulus hanc ipsam Euangelij doctrinam absconditum mysterium uocat 1. Corinth. 2.

Recita

Recita aliquot Regulas hoc
loco obseruandas :

I.

Vna & eadem uox Euangelij fuit ab initio. Huius regule usus est, ut Monachorum errori resisteremus, qui finxerunt alio modo Patriarchas, alio modo Iudeos saluatos esse, alio modo nos saluari. Docuerunt enim Patriarchas consequutos esse salutem lege nature, Iudeos lege promulgata, nos autem saluari nouis quibusdam legibus, quas Christus in Euangelio tradidit, ut supra quoque de discrimine consiliorum & preceptorum nonnihil dictum est. Contra hæc somnia firmiter statuamus, eandem uocem Euangelij sonuisse in Ecclesia, inde usque ab initio. Sicut enim nos credimus in exhibitum Messiam, Ita Patriarchæ et Prophetæ crediderunt in promissum semen, quod est Christus filius Dei.

Vbi igitur Deus primo promisit Semen :

Statim post lapsum in Paradiso, edita promissione. Ponam inimicitias inter te & inter Semen mulieris, ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Renouatur eadem promissio ad Abraham. Gen. 12. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item repetitur in multis Prophetarum concionibus & Psalmis

II. Regum

II. Regula.

*Euangelij promissio, non secus ac predicatio
pœnitentiæ, uniuersalis est. Conducit hæc regula ut
confirmemus animos aduersus periculosas imagina-
tiones de prædestinatione.*

*Cur igitur non omnes conse-
quuntur promissa Euan-
gelij, cum sint uni-
uersalia?*

*Non est transferenda culpa in Deum,
quod aliqui non recipiuntur in gratiam, Sed in
incredulitatem & malitiam uoluntatis, auersan-
tis beneficium Christi.*

DE IUSTIFICA- tione.

*Quare in Ecclesia necesse est do-
ctrinam de iustificatione sæpe in-
culcari mentibus.*

*Vt euellatur ex animis perniciosa & arro-
gans opinio hypocritarum, qui finxerunt legi sa-
tisfieri externa disciplina, & idcirco homines iu-
stos esse non fide, sed suis operibus.*

Recita

Recita causas huius opinio-
nis.

1. Est iudicium rationis fastidians simplicem doctrinam Euangelij.
2. Extenuatio peccati & legis.
3. Confusio iustitiæ Philosophicæ cum doctrina Euangelij.

Sequuntur autem multa incommoda has opiniones hypocritarum.

Primum enim obscuratur beneficium Christi.

Secundo tollitur uera consolatio et inuocatio.

Tertio augetur dubitatio.

Quarto confunditur discrimen legis & Euangelij.

Quæ igitur est summa doctrinæ
Catholicæ Ecclesiæ de Ius-
tificatione?

Statim post receptum Adam, institutum est ministerium prædicationis pœnitentiæ & promissionis de uenturo semine, quæ promissio patribus & Prophetis paulatim clarius patefacta est.

Primum itaq; sonet in Ecclesijs doctrina legis & discipline arguens peccata & iniiciens terrorem mentibus propter multiplicem legis uiolationem internam & externam.

Deinceps

Deinceps non satis est perterrefieri mentes
audita uoce Legis. Sed agnita nostra infirmitate
& horribili confusione, necesse est quoq; ut intueamur
filium Dei pro nobis passum, & fide eius me-
ritum apprehendamus.

Obiectio.

Maxima uirtus iustificat.

Dilectio est maxima uirtus.

Ergo Dilectio iustificat.

Resp:

Consequentia ualet de Dilectione integra
que in lege erga Deum & homines precipitur.
Quia autem post lapsum dilectio insufficiens est,
nemo propter languidam Dilectionem & iusticia-
am saluari potest, Sed confugiendum est ad be-
neficium Christi, de quo nos hæc doctrina de ius-
tificatione commonefacit.

Quid est ergo Iustificatio?

Iustificatio est idem, quod gratuita acce-
ptatio. Nam iustificari Ebraica phrasi significat
absoluere seu iustum pronunciare, ut sumus iusti-
ficati fide, Idem est, ac si dicas pronunciamus
iusti fide propter Filium.

Significat itaq; iustificari operibus esse iustum
impletione legis, Sed iustificari fide est pronunciar
iustum non operibus, Sed GRATIS propter Media-
torem Christum, seu propter fidem in Christum.

Ad Rom.

Ad Roma. 5. Iustificati ergo fide pacem habemus &c. ad Ephes. 3. Per hunc habemus fiduciam & accessum &c. Utile est hoc loco mente amplecti necessariam & salutarem admonitionem: Cum Iustificatio sit acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis coram Deo, amplecti omnia beneficia Messiae necesse est, nec unquam remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iustitiae, uiuificatio per Spiritum sanctum, & donatio uitae aeternae à Iustificatione, diuellenda sunt, Quamquam ut distincti gradus discernenda sunt. Primus & summus gradus est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis imputata nobis iusticia mediatoris domini nostri Iesu Christi, Proximus gradus est donatio Spiritus sancti & uiuificatio, quae certo fit à Spiritu sancto quoties cor in ueris doloribus cogitatione promissionis erigitur. Ultimus gradus est donatio uitae et salutis aeternae, de qua Paulus inquit, Spem iusticiae expectantes.

Vt autem haec dulcissima doctrina omnibus nota sit, ac magis magisque innotescat, consulendum est iunioribus, ut 3 & 4 caput ad Rom. assidue legant & attentè considerent, Ibi enim à Praeceptore Philippo felicitis memoriae non tantum summa iustificationis utilissime illustratur, uerum etiam grauissime refutantur errores Osiandri & aduersariorum.
Sunt

Sunt & diligentissime euoluenda Lutheri enarra-
tiones Psalmorum poenitentialium, & 53. capituli
Esaie, nec non Epistolae ad Galat: Item Exegeses
Dominicarum Epistolarum & Euangeliorum.
Scriptae sunt quoque aduersus Osiandri errores utiles
& doctae propositiones à Reuerendo uiro Domino
Doctore Georgio Maiore in commentario tertij ca-
pituli ad Philippe: ubi & ueterum simul testimonia
fideliter recensentur.

DE VOCABVLO Fidei.

Vocabulum Fidei interdum pro fidelitate
legitur, ut apud Sophoclem & Polybium, Inter-
dum noticiam rei alicuius gesta, nec non argumen-
ta & probationes significat, ut apud Rhetores &
Aristotelem. Sed in doctrina Euangelij & Apo-
stolorum, uocabulum FIDEI non tantum intelligi-
tur pro noticia historiae, Verumetiam pro fiducia
misericordiae Christi, Ergo haec propositio semper
correlatiue intelligenda est hoc modo: Iustificamur
Fide, id est, Fiducia misericordiae propter
Christum. Nam fidei fundamentum est noticia
Euangelij in intellectu, & firma fiducia in uolunta-
te. Terminus uero ut illa fiducia directa sit ad ap-
prehendendam misericordiam propter Christum.

H

Quos

Quot modis probas uocabulum
Fidei non tantum pro noticia seu
professione Symboli, sed multo
magis pro fiducia in scriptura
sumi?

1
Primum à proprietate Ebraica et greca lin-
gue, Psal: 78, Quia non crediderunt Deo, &
non confisi sunt in saluatore suo. Hic manifeste le-
gimus, Credere idem esse, quod Considerare. Sic apud
Phocyl.

λαῶν μή πίσειε. πολύτροπὸν ἔστιν ὁμιλῶ.
Ita & apud Platonem opponitur incertæ opinionis.
Ergo ex natura contrariorum necesse est fidem signi-
ficare firmam assensionem seu fiduciam.

2
Secundo ab experientia conscientie luctantis
cum desperatione. Nam in ueris consternationi-
bus sentimus nostrorum operum indignitatem. Et
idcirco per Euangelij uocem ad meritum Christi
deducimur, in quo fide acquiescimus.

3
Tertio, ab experientia in inuocatione. Nam
ibi quoque obstrepat nobis nostra indignitas, & rur-
sum opus est animum erigere Fide ac consolatione,
quod propter pontificem Christum, qui pro nobis
interpellat, exaudiamur.

4
Quarto ex multis testimonijs noui Testa-
menti,

menti. Luca. 7. Fides tua te saluam fecit. ad Rom.
5. Iustificati fide pacem habemus, Item testimonijs
Augustini, Bernardi, Basiliij, quæ in Locis recitatur.

Obiectio.

Cum Fide coniungenda est Dilectio.
Ergo non sola Fides, sed una simul Dilectio
iustificat, iuxta illud, Si omnem fidem ha-
beam, dilectionem non habeam, nihil sum.

Resp:

Nego consequentiam, Quia est fallacia Ex non
causa, ut causa. Dilectio cum Fide coniungenda est
tanquam effectus fidei seu reconciliationis, non au-
tem tanquam causa reconciliationis.

Dic rationem:

Quia in ueris pauoribus mens trepida nullam
uirtutem propriam respicit, sed fide intuetur Chri-
stum Mediatorem, Postea uero recepta inchoat no-
uam obedientiam, et accedit donatio Spiritus sancti
confirmans illam obedientiam.

DE VOCABVLO

Gratiæ.

Primum reprehenditur error Monacho-
rum. Sicut Philosophi dixerunt magnum ui-

H. 2

rum

sum absq; afflatu & impetu Diuino non existeret, Ita Monachi contendunt Gratiam significare nouas uirtutes à Spiritu sancto excitatas. Igitur obscurauerunt Christi beneficium & totam doctrinam de Fide & imputatione gratuita.

Deinceps explicatur consensus ueræ Ecclesiæ de Gratia.

Quid ergo significat Gratia?

Remissionem seu acceptationem gratuitam.

Iohan. I. Lex per Moysen data est, Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est.

Donum uero Gratiæ significat donationem Spiritus sancti & uitæ æternæ.

Dic integram definitionem Gratiæ.

Gratia est remissio peccatorum, seu misericordia propter Christum promissa, seu acceptatio gratuita, quam necessario comitatur donatio Spiritus sancti.

Quot modis confirmas hanc definitionem?

Tribus. Primo à proprietate Ebraicæ linguæ
Nam Ebraei gratiam non dicunt uenustatem & decorem

corem sicut Latini, Sed misericordiam, fauorem seu beneficium. Interdum quoque in eadem lingua Gratia donum significat.

Secundo ab argumento Pauli, quod extat ad Rom: Operanti merces non imputatur propter gratiam, Abrahamæ imputata est, iusticia secundum gratiam, Ergo non operanti. Hic perspicue docet Paulus Abrahamæ opera, quantumuis excellentia, excludi à gratuita iustificatione.

Tertio, ab experientia, Nulla promissio pendens ex promissione legis est certa, Promissionem Gratia oportet esse certam, Ergo promissio Gratia non pendet ex conditione legis. Hoc argumentum in contritis sentitur. Ab otiosis uero & securis menantibus non intelligitur.

Supra dictum est uocabulum GRATIS sæpissime repeti in Paulinis Epistolis, Dic mihi iam rationes propter quas tam sæpe repetatur?

I.

Ut debitum honorem Christo tribuamus, alios qui enim extenuatur magnitudo peccati & iræ Dei aduersus peccata. Ac econtra augetur securitas & contemptus beneficij filij Dei.

H 3

Vt

II.

Vt conscientiae firmam consolationem habeant,
quae causa si praetermittitur, existunt in nobis dubi-
tationes, Item odium Dei & desperatio, Lex enim
Deum iustum non misericordem esse, nobis monstrat.
Ideo cum conscientia, ex agnitione legis tandem nos
accusat, fugimus Deum tanquam nimis severum iu-
dicem.

III.

Vt uera inuocatio prestari possit. Sequitur
& huius cause neglectio dubitatio in precatio-
ne, imo etiam precatio intermissio, qua nihil est
tristius, ut infra de inuocatione dicetur.

III.

Vt conspiciatur discrimen legis & Euangelij,
quo sublato sequuntur magna tenebrae & confusio-
nes.

Collatio nostrae & aduersa-
riorum doctrinae.

Nostrae Ecclesiae primum docent predi-
candam esse poenitentiam & inculcandam legem.
Secundo monstrandum esse digito agnum Dei tol-
lentem peccata mundi. Tertio serio monent ho-
mines de prestanda noua obedientia, quae necessa-
rio

rio regenerationem sequitur. Taxant igitur scelerata, tribuunt Christo suam gloriam, tollunt dubitationes & precipiunt bona opera.

At doctrina Aduersariorum complectitur tria absurda.

Primo extenuat interiorem prauitatem ac confirmat securitatem.

Secundo, affirmat hominem nouis qualitatibus mereri remissionem, ac detrahit Christo suam gloriam.

Tertio iubet dubitare & auget desperationem. Extenuatio igitur peccati in securis laxat frenata discipline. Dubitatio in contritis & dolentibus inducit desperationem.

Obiectio I. Monachorum
quæ ducta est à Physica
similitudine.

Sicut materia per se est rudis & formam accipit à tractatione, Ita fides per se est mortua, & uiuida redditur accedente dilectione seu cæteris uirtutibus.

Ergo fides absq; dilectione non iustificat.

Responsio.

H 4

Nego

Nego antecedens, quia malè accommodatur simili-
tudo. Fides enim non est ociosa per se, sed statim
fit efficax & est ardens motus quo clamamus Abba
Pater, accensus à Spiritu sancto. Ita opera quæ se-
quuntur sunt effectus fidei, non causa efficiens.

Secunda obiectio de Syno- ecdoche.

Non ex singulis uerbis, sed ex perpetuitate
quadam et constantia æstimāda sunt scripta.
Tota uero scriptura non soli fidei, sed etiam
cæteris uirtutibus iustificationem tribuit,
Ergo non rectè urgentur uerba Pauli in hac
propositione, Iustificamur Fide. Resp:

Nego minorem. Quia scriptura ubiq; sibi
constat, ac etiamsi legales sententiæ leguntur de
pœnitentiâ, tamen Euangelij ἐπιείκεια interpre-
tatur illas sententiâs, & claris testimonijs Pro-
phetarum, Christi & Apostolorum docet, nos
per solius Mediatoris beneficium recipi, Imo eti-
am longe certius est seruare τὸ ἑστὶν in his di-
sputationibus luce meridiana clarioribus, quam
excogitare peregrinas interpretationes.

De

DE DISCRIMINE

ueteris & noui Testa-
menti.

Supra dictum est eandem fuisse doctrinam legis et Euangelij inde usq; ab initio, Cur igitur distinguitur uetus Testamentum à nouo, cum utriusq; doctrina omnibus temporibus celebrata sit?

Vetus Testamentum proprie est typus seu inuolucrum noui. Expressit enim figuris id ipsum quod in nouo Testamento uere nobis exhibetur. Finis ueteris Testamenti fuit ut esset certa Politia distincta à cæteris gentibus, in qua Christus nasceretur.

Nota.

Iudæi triplicem errorem circumtulcrunt de fine ueteris Testamenti.

- 1. Putabant Messiam fore Principem politicum, non uictimam pro peccatis.*
- 2. Existimabant legem tantum de externa disciplina præcipere, non de interiori obedientia.*
- 3. Fingebant lapsus seu peccata remitti mactatione pecudum. Igitur cum alabant*

H &

noua

noua sacrificia & nouas cæremonias contra
Verbum.

Econtra Prophetæ & omnes pij intelligen-
tes scripturam, acriter taxabant hos errores.

1. Docebant Messiam non fore Regem poli-
ticum, sed uictimam pro peccato.

2. Similiter de lege docebant, externam o-
bedientiam & disciplinam non satisfacere
legi.

3. Item de cæremonijs quod essent tantum si-
gna uenturæ uictimæ, non autem precium
pro peccatis.

Vnde uetus Testamentum
habet nomen ?

Dicitur uetus propter tempus & subiectum.

Primum enim legis promulgatio antecedit in-
staurationem nature.

Deinceps idem Testamentum uersatur circa
subiectum, quod est uetus natura, quæ adhuc pre-
mitur iudicio legis,

Vnde uero nouum Testa-
mentum nomen habet ?

I,

A nouitate uitæ & conscientie. Quando
enim post terrores conscientie, qui ex agnitione
peccati oriuntur, homo apprehendit, Euangelij
promissis

promissionem, nouitas quædam oritur in mente humana resistens spe & fiducia dubitationi & acquiescens ipsi promissioni.

II.

A Tempore, Prius enim oportet existere Contritionem. Deinceps necesse est ut agnita ira Dei aduersus peccatum, apprehendamus promissionem. Quapropter etsi nouum Testamentum inchoatum est in omni prædicatione promissionis, inde usq; ab initio, tamen in nobis efficax est post poenitentiam seu agnitionem peccati, quæ ex lege oritur.

III.

A subiecto. Non enim uersatur circa carnem seu ueterem naturam, quæ legi subiecta est, Sed circa nouum hominem seu regeneratum. Regenerati autem dicuntur reconciliati seu recepti in gratiam.

Ex his perspicue cognoscitur ratio appellationis utriusq; Testamenti. Verum est utroq; tempore proponi doctrinam poenitentiae & reconciliationis, Sed reuelatio Euangelij est clarior post prædicationem Christi & Apostolorum.

Occult

OCCVPATIO.

Cur noui Testamenti gloria tantopere celebratur, cum nequaquam tam conuenientem ordinem habeat, sicut uetus Testamentum?

Pulcherrimus ordo ueteris Testamenti fuit testimonium de promissione futuri regni, Ideo nouum Testamentum praefertur ueteri, cum uetus tantummodo fuerit significatio uoui, Sicut inquit Paul. Si periturae politicae ministerium fuit gloriosum, quanto magis hoc ministerium salutis aeternae erit gloriosum.

Dic aliquot testimonia Prophetarum quod uetus Testamentum significauerit futurum Regnum noui Testamenti?

Daniel: 9. Septuaginta hebdomades praefinitae sunt populo tuo. Et expiabitur iniquitas & ueniet iusticia perpetua, & unguetur Sanctus sanctorum, ac occidetur Christus Zach: 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui educes uinctos tuos de lacu, id est, educes ex morte aeterna captiuos propter peccatum sanguine Christi promissi Mediatoris & uictimae. Describit & idem Zacharias effectus huius regni, nempe conscientiam acquiescentem promissioni, & ueram inuocationem quae est precipuus cultus Ecclesiae.

Sed

Sed iam rursus obseruandum est in hac uita tantum fieri inchoationem noui regni, quod tandem in altera uita complebitur.

Vsus huius obseruationis pijs magnam consolationem præbet, ne uidelicet desperent in confusionibus & ruinis imperiorum, quibus Ecclesia grauiter concutitur, Sed ut firma fide intueantur in integram liberationem seu impletionem.

Dixisti antea uetus Testamentum expressisse figuris idipsum, quod in nouo uerè nobis exhibetur, Dic igitur nunc explicationem aliquarum figurarum:

Ordo Sacerdotum significat conseruationem ministerij. Sacrificia pingunt uenturam uictimam Christum. Est & illustris admodum significatio in Arca foederis Exodi 25.

1. Appellatio Arcae foederis significat illum tantum esse populum Dei, qui amplectitur doctrinam à Deo traditam.

2: Exprimitur per id quod in Arcam collocatæ sunt tabulæ Decalogi, quas Moyses testificationem Domini uocat, Ecclesiam diuinitus seruari propter doctrinæ propagationem.

3. Addita

3. Addita simul est promissio de propitiatore Christo, qui depingitur per propitiatorium, quod tegit arcam. Nam & Christus tegit Ecclesiam.

4. Duo Cherubin iungentes alas admonent nos de consensu Apostolicae & Propheticae scripturae.

Postremo notantur per Vectes et Baculos pij doctores & scholastici, quorum humeris incumbit onus docendi & propagandi Euangelium.

Teneantur insuper sequentes Regule.

I.

Minimè cogitandum est Legem tantum ueteri Testamento, Promissionem autem nouo inclusam esse. Non minus enim Decalogum in nostris Ecclesijs retinemus, ac olim ante Christum natum uocem Legis Moyses & Prophetae sonuerunt. Quem admodum illis quoq; qui Messiae aduentum expectarunt tam grata & dulcis promissio fuit multoties repetita, quam nobis eadem post incarnationem Filij Dei grata & accepta est. Ioh: 8 Abraham pater noster exultauit ut uideret diem meum &c. Item, Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iusticiam. Extat illustris imago Gene: 32. In
lucta

lucta Iacob cum Angelo. Exercetur Patriarcha
duriter sentitq; noctis tenebras & pauores, donec
aurora prodit discutiens caliginem et subministrans
lucem. Hic tenebrae & caligo nihil aliud quam
sensus irae Dei aduersus peccata representant. Au-
rora uero dulcissimam promissionem & consolatio-
nem Euangelij depingit. Huc referantur Psalmi
83. Misericordias Domini cantabo & c. Item 97.
Dominus regnauit exultet terra, Ac multi alij.

II.

Tribuatur unicuiq; pacto & foederi suus honor.
Dictum est antea Vetus ordinem conuenientem
habuisse à Deo ad certum tempus institutum. At ni-
hilò secius Noui decus et splendor longè illustrior est
non quidē in externa specie, Sed quod ad perfectionē
& impletionem attinet. Intellexerunt ueteres fu-
turam liberationem, Sed aspexerunt Messiam tan-
quam per tansennam Typis inuolutum. Ideo to-
ties exoptarunt contueri gloriam praesentis Messiae
Esaias 64. Utinam coelos dirumperes. Lucae 10.
Beati oculi qui uident & c. Nobis uerò illuxit dies
gratiae, coram nunc in uerbo audimus & contem-
plamur natiuitatem Christi, Baptismum in Iorda-
ne, tot miracula, afflictionem, mortem, gloriosam
resurrectionem, ascensionem, Et expectamus eun-
dem

dem Dominum nostrum Iesum Christum futurum
iudicem uiuorum & mortuorum Matth. 16. Tu
es Christus Filius ille Dei uiuentis etc. Ioha. 1. inquit
Philippus ad Nathanaël, de quo scripsit Moyses in
Lege & Propheta, inuenimus Iesum. Luca. 2. Nunc
dimittis seruum tuum & c. Ioha. 20. Dominus me-
us & Deus meus.

III.

In Veteri pacto mediator coram Deo pro Israëli-
tis delinquentibus Moyses erat. Nos autem habe-
mus Pontificem & mediatorem apud Deum Pa-
trem pro delictis nostris unigenitum Filium Dei
Christum Iesum. Præterea foedus illud, antequam
dies Domini illuxit, confirmabatur in promulga-
tione Legis 50. die post exitum ex Ægypto. Hoc
autem, Nouum scilicet inchoatum & confirmatum
est in missione Spiritus sancti 50. die à Resurrecti-
one Domini, Ierem: 23. Ecce dies ueniet & c. Item
31. Feriam nouum foedus cum domo Israel & Iu-
da & c. Micheæ 4. De Sion exhibit Lex & c.

DE ECCLESIA:

Ecclesia uisibilis est cœtus uisibilis amplectenti-
um Euangelium Christi, & recte utentium Sacra-
mentis, in quo filius Dei per ministerium Euangelij
est efficax, & multos ad uitam æternam regenerat,
in quo cœtu multi sunt non sancti, qui tamen de uera
doctrina consentiunt. Quot

Quot sunt obseruanda in
hac definitione ?

Tria. 1. Non esse in alio coetu electos ex toto
humano genere, nisi in hoc uisibili coetu, qui
per doctrinam Euangelij uocatus est.

2. Quod in Ecclesia oporteat esse noticiam
promissionis & uerum usum Sacramen-
torum, per quæ Spiritus sanctus est efficax,
& mouet mentes credentium.

3. Quod non sit fingenda Idea Platonica,
uidelicet, Ecclesiam talem esse coetum, in qua
non desideretur aliquid in moribus & disci-
plina. Inherent enim sanctis quoq; in hac
uita reliquæ peccati, quæ tamen propter Fi-
lium Dei remittuntur. Quapropter omnes
qui consentiunt de doctrina, sunt externa
Ecclesiæ membra, licet non omnes sint san-
cti, Qui uero doctrinæ aperte resistunt, aut
sunt iuste excommunicati, non sunt Ecclesiæ
membra.

Obiectio.

Quod creditur non uidetur.

Ecclesiam esse creditur.

Non igitur uidetur.

Resp:

Multæ sunt propositiones, quarum etsi cer-
nuntur subiecta, tamen prædicata fide adduntur,

I

ut

ut cum dicimus: Sol est à Deo creatus: Hæc nostra corpora reuocabuntur in uitam. Hic fides est assensio, qua integram propositionem amplectimur. Sed subiecta in his propositionibus accipi sensibus dicimus, ut Solem oculis contueri potes. Sic cernere potes homines sonantes uocem Euangelij, etsi sunt Ecclesia Dei, seu coetus, in quo sunt electi, id uero prædicatum fide additur,

Sunt sanè firmæ probationes Ecclesiam esse uisibilem. PRima, Vult Deus agnosci Filium in genere humano, sicut dicit, Hunc audite. Et uult ministerium esse publicum & uisibile iuxta dictum Psalmi: In omnem terram &c. Et Dominus de uisibili Ecclesia loquitur cum ait: Dic Ecclesie. Sciamus igitur Ecclesiam esse coetum eorum, qui Euangelij uoce sunt collecti, nec intelligatur agmen piorum de arcanis Eleusynijs.

2 Secunda, Quæ autoritas testimoniorum de temporibus, de receptis libris, de controuersiarum iudicijs ualeret? Si hic ipse coetus confusus & non distinctus esset oculis & alijs sensibus ab impia multitudini & hæreticis.

3 Tertia, Paulus ait I. Corinth. 4. Spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus, Quale uero spectaculum Ecclesie potest esse, Si non cernitur?

tur? Quomodo sanctorum martyrum corpora prehendi & interfici potuerunt, si distinctio neq; oculis neq; auribus agnoscitur?

Quarta, Non desunt testimonia presentie & efficacie Christi & Spiritus sancti in hoc uisibili coetu: Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo &c.

Quinta, Precipit Deus in Deuteronomio sobolem à parentibus doceri & inseri Ecclesie, uult igitur parentes & sobolem esse in eo coetu uisibili, in quo sunt aliqui electi. Legatur suauißima Oratio de Ecclesia Christi recitata Vuitebergæ Nonis Martij anno &c. 60.

Regula I.

Ecclesia neq; ad ordinariam successionem, neq; ad certum aliquem locum, sed ad ipsam incorruptam doctrinam Euangelij est alligata. Fundamentum enim Ecclesie est Verbum iuxta dictum Pauli, Non potest poni aliud fundamentum præter id quod positum est scilicet Iesus Christus, id est, doctrina incorrupta de Iesu Christo.

At politici uiri ex iudicio humane rationis & forma ciuiliß status de Ecclesia aliter iudicant. Nituntur autem hoc fundamento, Sæpe incidunt dissensiones de scripto, Ergo de scriptura iudicandum

eandem est iuxta auctoritatem interpretantium.
Item, existimant ordinariam successionem in Ecclesia ad tuendam auctoritatem & pacem meliorem esse. Ideo sic argumentantur.

Politica ordinatio ad certas leges & successionem est alligata.

Ecclesia uera est similis Politicæ ordinationi, Ergo Ecclesia ad certam successionem & leges est alligata. Resp :

Respondeo ad minorem. Etsi in Ecclesia gradus sunt docentium & discipulorum, tamen nemo debet niti propria auctoritate iudicandi de scriptura, sicut Magistratus nititur sua auctoritate in interpretandis legibus. Sed nitendum est in Ecclesia solo uerbo Dei, alioqui enim si iudicium esset penes maiorem partem contradicentium Verbo necessum esset obrui ueritatem. Quod ne fiat tantum ex scriptura iudicandum est, Imo etiam minor in uniuersum negari potest. Ecclesia enim non est similis politicæ gubernationi, sed differt à civili statu tribus modis.

I.

ORDINE, Quia in imperijs est ordo successionis in certo aliquo loco, At in Ecclesia unum semper est caput Ecclesie, Christus
stus

stus scilicet, nec est alligata Ecclesia ad certum aliquem locum.

II.

GLORIA, Nam gubernatorum Gloria est autoritas parta ex praestantia consiliorum & successuum. At Ecclesia non habet illam praesentem gloriam, cum saepe sit subiecta cruci. Est igitur alia gloria Ecclesiae, nempe uera agnitio Dei & uictoria contra Diabolum.

III.

PRÆSIDIIIS. In politijs praesidia sunt oes pes & exercitus. Talibus praesidijs Ecclesia caret ac sperat defensionem & conseruationem diuinius.

Regula II.

Porro quamuis Ecclesia non alligata est ad certam successionem personarum, tamen autoritas praesidentium in Ecclesijs non est contemnenda, si iuxta uerbum pure iudicant. Haec regula habet duplicem commoditatem.

1. Ne stabiliatur tyrannis praetextu autoritatis absq; uerbo.
2. Ne laxetur frenum audacibus ingenijs corruptelam uerbo affingentibus.

Hoc loco notandus est error Donatistarum.

qui contenderunt ministerium non esse efficax, si
Ministri mores sint uiciosi. Hic error primum refu-
tatur testimonijs Christi, qui 13. cap. Matth. Ec-
clesiã sagenæ confert, in qua boni et mali pisces sunt:
Dicit idem Dominus et saluator noster, in Ecclesia
masura esse zizania usq; ad resurrectionem. Item, si
penderet uis Euangelij et Sacramentorum ex digni-
tate ministri, fieret incerta fides. Neq; enim hypo-
crisis iudicio humano agnosci potest, neq; quisquam
sine aliquo uicio uiuit.

Quid igitur sentiendum est de Ministerij dignitate?

Quod ea dignitas ex solius Christi beneficio
& Veritate uerbi pendeat, non ex persona mi-
nistri. Huc refertur dictum Christi, Supra Cathe-
dram Mosi sedent scribæ & Pharisei, omnia ergo
quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite, Se-
cundũ opera uero eorum nolite facere. Dicunt enim
& non faciunt. Pulchrè etiam Nazianzenus loqui-
tur, inquit, Eadem est figura sigilli siue aureo si-
ue ferreo annulo insculpta sit: Ita idem est Mini-
sterium siue boni siue mali præsent.

Obiectio.

Ergo

Ergo si uiciosi mores non impedi-
unt Ministerium, prorsus dissi-
mulanda sunt crimina ministro-
rum?

Duplicia sunt crimina Publica & Priuata.
Publica igitur quæ alijs aperte scandalo &
nocumento sunt excommunicatione & gladio Ma-
gistratus puniri debent.

At priuata infirmitas in moribus condonanda
est ministris, si modo non corrumpunt ueram do-
ctrinam, Quando uero euertunt Veritatem, fugi-
endi sunt. Iuxta dictum, Si quis aliud Euangelium
docet Anathema sit.

Sed obserua aliter iudicandum esse de personis,
quæ peccant ignorantia, aliter de illis, quæ palam
sunt blasphemæ. Ignorantes enim sæpe admonitæ
emendantur, Perseuerantes autem in blasphemia
omnino sunt fugiendæ.

DE SIGNIS MON- strantibus Ecclesiam.

Tria sunt signa monstrantia Ecclesiam.

1. Euangelium incorruptum.

2. Legitimus usus Sacramentorum.

3. Amiranda praesentia Spiritus sancti in gubernatione Ecclesiae ac piorum, quae tamen uno tempore illustrior est alio.

3 Item, Obedientia debita ministerio Euangelij I. Corint. I. Idem dicatis omnes, nec sint inter uos schismata &c. Item Obedite praepositis uestris.

At praua imitatio humanarum politiarum affingit Ecclesiae alia signa, uidelicet.

1. Ordinariam successionem Episcoporum.

2. Obedientiam in traditionibus humanis.

4. Potestatem interpretandi scripturam & ferendarum legum. Porro de ordinaria successione & obedientia in traditionibus humanis supra dictum est.

Quid autem de potestate interpretandae scripturae dicis?

In Ecclesia non est potestas interpretationis alligata certo ordini seu titulo, Sed donum interpretationis accensum in cordibus piorum à Spiritu sancto & confirmatum assidua lectione & studio cognoscendi scripturam.

Proba hoc certa ratione?

Humana mens de uera doctrina per se absque uerbo nihil potest statuere, Cum Euangelij cognitio superet

superet iudicium rationis. Igitur solo uerbo acqui-
escendum est, & ijs interpretationibus, quæ scri-
pturæ sunt consentaneæ. Vocamus autem scriptu-
ram consensum doctrinæ Propheticae & Apostoli-
cæ. Nam per Prophetas Spiritus sanctus lo cutus est,
& Apostoli immeditate à filio Dei missi sunt quoq;
pleni Spiritu sancto.

Quid est donum interpre-
tationis ?

Donum interpretationis est Lumen, quod ac-
cendit Spiritus sanctus in horum mentibus, qui assen-
tiuntur Euangelio, & qui se in doctrina religionis
exercent, ut Christus inquit Ioh: Spiritus san-
ctus docebit uos omnia, & rediget uobis in memo-
riam omnia quæ dixi uobis. Hoc testimonio Christus
alligat Apostolos & omnes doctores ad suam do-
ctrinam.

Obserua.

Cum uero donum interpretandi in alijs magis
in alijs minus illustre sit, cumq; etiam rectè senti-
entes errare & labi possint, & interdum aliquid
caliginis habeant, tota ratio interpretandi scriptu-
ram iuxta normam Verbi dijudicanda est.

DE SACRAMENTIS

in genere.

Quid usitate uocatur Sacra-
mentum ?

I. 5

Sacra.

Sacramenta in Ecclesia uocantur Ceremonia
diuinitus instituta, ut sint testimonium promissio-
nis, quæ est Euangelij propria, uidelicet, promissæ
reconciliationis seu gratiæ. Harum ceremoniarum
finis principalis est, ut sint signa Diuinæ uoluntatis
erga nos, seu ut sint testimonia addita promissioni.

Dic rationem?

Quia Deus omnibus ætatibus non tantum pro-
missionem edidit, Sed etiam singulari bonitate adie-
cit externa signa congruentia cum ipsa forma pro-
missionis, ut in prima ætate seu in primis duobus
millenarijs accensionem uictimarum cœlitus. In se-
cunda Circumcisionem & mactationem agni Pas-
chalis. In tertia Baptismum & cœnam Domini.

Regula.

Sacramenta sunt addita promissioni, Ergo sicut
promissionem necesse est fide apprehendi, Ita in usu
Sacramentorum oportet accedere fidem intuentem
promissionem.

Cognito principali fine, qui nos de certitudine
gratuitæ promissionis confirmat, postea accedunt
alij fines, sed minus principales 1. Confessio doctri-
næ. 2. Gratiarum actio 3. Celebratio publici con-
uentus.

Nam

Nam Deus non uult Ecclesiam latere in latebris
sed uult esse publicas congregationes, per quas Eu-
angelij doctrina propagari, & alij ad confessionem
excitari possint.

Postremo admonemur quoq; in usu Sacra-
mentorum de multis officijs, de mutua beneuolentia
caritate & mansuetudine.

DE NUMERO SA- cramentorum.

Quot sunt Sacramenta in Ec-
clesia ?

Tria Baptismus.
 Absolutio. &
 Sacramentum coenae Domini.

Quare igitur Romana Ec-
clesia numerat septem
Sacramenta ?

Quia finxit omnes ritus praecipuos à Deo,
quibus aliqua, licet legalis promissio addita est,
Sacramenta esse, sed improprie. Nam hoc modo
omnia praecipua Decalogi essent Sacramenta, quia
his omnibus amplissima promissiones additae sunt.
Ac de Oratione, Tolerantia, Eleemosinis, Item
de condonatione iniuriarum, de coniugio &c. ex-
tant notae promissiones, Ut petite & accipietis.
Item Preciosa mors Sanctorum in conspectu
Domini.

Domini, Item, Qui seminat in largitate in benedictione metet, Item, Remittite et remittetur uobis etc.

Quid ergo proprie uocamus Sacramenta?

Ceremonias diuinitus institutas in prædicatione Christi, quæ proprie ad nouum Testamentum seu promissionem gratuitam pertinent.

Ratio.

Alia est enim promissio Legalis, alia Euangelij. Nam Legalis conditionalis est, pertinens ad omnia præcepta Decalogi. Euangelij uero promissio est gratuita. Ad hanc proprie spectant Sacramenta ut sint signa huius gratuite promissionis. Iuxta hanc rationem recte numerantur tria Sacramenta uidelicet, Baptismus, Absolutio, & cœna Domini, Potest eodem modo & ordinatio numerari inter Sacramenta. Est enim ordinatio proprie præceptum Euangelij habens promissionem omnium maximam, quod Deus per Ministerium sit efficax, Imo uult etiam Deus hoc externum ministerium perpetuo conseruari in Ecclesia. 2. ad Corinthios: 5. Deus posuit in nobis uerbum reconciliationis: pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo adorante per nos.

Item,

Item, 2. ad Corinth. 3. Fecit nos ministros noui Testamenti, non literæ sed Spiritus, Admonemur igitur hoc ritu, Primum de dignitate & conserua- 1
tione ministerij, quod uidelicet per ministerium nos
à peccato liberet. Secundo admonemur quoq; 2
consolatione & ingenti beneficio Dei, qui inter tot
procellas & confusiones imperiorum ministerium
conseruat. Porro notandura etiam est, impositio-
nem manuum esse signum benedictionis & personæ
destinatæ ad cultum Dei, id est, ad docendum Ver-
bum Dei, & ad administrationem Sacramentorum.
Deprauatio autem ordinationis Papisticæ, qua fin-
xerunt ordinationem ideo fieri, ut detur potestas
sacrificandi pro uiuis & mortuis, prorsus exploda-
tur. Si uero differentie specificæ Sacramentorum
considerantur, quarum duæ sunt, Vna, quod singu-
tis applicant beneficium Christi, Altera, quod ha-
bent externam & uisibilem materiam, sequitur duo
tantum esse Sacramenta, Baptismum & cœnam Do-
mini.

DE BAPTISMO.

Baptismus est integra actio, uidelicet, mersio
& uerborum pronuntiatio: Ego baptiso te in nomi-
ne Patris & Filij & Spiritus sancti, quæ testatur
promissionem gratiæ uerè ad hunc pertinere qui
baptisatur.

Decla

Declara uerba Baptis- mi :

1. *Hæc uerba continent summam Euangelij Et sunt benedictio, quæ nos Deo consecrat, Siue per quam super nos inuocatur nomen Dei.*
2. *Discernunt Ecclesiam uera inuocatione à ceteris omnibus gentibus. Igitur à nobis fidem & ueram agnitionem ac inuocationem Dei postulant.*

Recita testimonium Petri de Baptismo :

Baptisma non est sordium corporis depositio, sed stipulatio bonæ conscientie erga Deum per resurrectionem Christi. Hoc testimonium tria complectitur.

Primo, Mutuam obligationem inter misericordiam Dei gratuitam, & inter conscientiam uera fide amplectentem illam misericordiam.

Secundo, Docet quid sit bona conscientia erga Deum, nempe recte agnoscens & inuocans Deum.

Tertio, Docet Baptismum esse efficacem propter regnantem Christum.

Recita

Recita quoque significationem
Baptismi ?

Prima & præcipua significatio Baptismi est,
quod abluamur à peccatis & mergamur in aquam
uelut in sanguinem Christi. Deinde accedit alia si-
gnificatio, uidelicet, Baptismum non secus ac iter
per Mare rubrum significare imaginem afflictio-
num & liberationis. Vsus Baptismi est, ut in omni
uita confirmemur de misericordia Dei & gratuita
acceptatione.

Habuit ne Baptismus Iohan-
nis & Apostolorum e-
undem effectum ?

Habuit: Iohannes enim non minus prædicauit
passurum Christum, quam Apostoli passum & res-
uscitatum. Deinceps idem Iohannes utramque para-
tem, non secus ac ipsi Apostoli, in Baptismo com-
plexus est: Pœnitentiam nempe & remissionem
peccatorum.

Cur igitur Iohannes facit dis-
crimen inter suum & Chris-
ti Baptismum ?

Iohannes non discernit externum ministeri-
um, sed personas ministrorum & ipsius Christi
discernit. Ministri enim docent tantum & ap-
plicant

plicant ministerium. Christus uero non est tantum
Doctor, sed est simul efficax per ministerium & dat
nouam & eternam uitam & iustitiam.

DE BAPTISMO IN fantium.

Nulla unquam fuit secta, quæ plus errorum
habuit quam Anabaptistarum. Est enim consuta
ex multarum ueterum sectarum furoribus.

1. Negant Baptismum infantium,
2. Tollunt Magistratus & Iudicia.
3. Negant Christianis concessum est tenere
proprium.
4. Negant esse peccatum Originis.
5. Labefactant Coniugia.
6. Contendunt se propter propria opera iustos
esse.
7. Fingunt Monarchiam piorum ante resurre=
ctionem, quæ caritura sit omni peccato, &
ut illam Monarchiam constituerent, scditiose
arma ceperunt. Oriuntur autem hi errores
ex ignorantia discrimis iustitiæ spiritualis
& ciuilis, de quo in loco de ciuilibus Magia
stratibus dicetur.

Proba certis argumentis Ba=
ptismum infantium?

Primum comprobatur Baptismus Infans=
tium

tium ab autoritate, Origenis, Cypriani & Augusti-
ni, quorum testimonia continentur in locis, Deina-
ceps firmis argumentis.

I.

Regnum Dei ad omnium ætatum homines
pertinet.

In Baptismo offertur Regnum Dei,
Ergo, Baptismus ad omnes pertinet, etiam
ad infantes.

Maior probatur ex historia paruulorum, ubi
inquit Christus, Talium est regnum coelorum. Nec
refert quod Anabaptistæ cauillantur & eludunt
hoc testimonium, quod non de paruulis proprie di-
catur, sed de imitatione, ut uidelicet adulti imiten-
tur innocentes infantium mores, cum Textus expres-
se affirmet, in his uerbis contineri promissionem ip-
sis infantibus factam.

Minor est etiam firma ex institutione Baa-
ptismi.

II.

Extra Ecclesiam nulla est salus,
Infantibus est promissa salus,
Ergo, Infantes per Baptismum inscrendi
sunt Ecclesie, ut beneficia Christi per mi-
nisterium eis applicentur.

III.

K

119

In sola Ecclesia remittitur peccatum per
ministerium uerbi & Sacramentorum.

Infantes habent peccatum.

Ergo, Infantes inseri oportet Ecclesie in qua
pronunciantur liberi à peccato. Quod uero infan-
tes peccatum habeant, confirmatur uersiculo Psal-
mi: Ecce in iniquitatibus conceptus sum &c,

I I I I.

Ad quos pertinet promissio, ad eosdem per-
tinet & signum.

Sed certum est promissionem pertinere ad
Infantes.

Ergo & signum, quod est Baptismus.

V.

Mandatum de Baptismo Christi est uniuersale

Pertinet igitur ad infantes quoq;

OBIECTIO ANA-
baptistarum.

I.

Ceremonie seu Sacramenta requirunt in-
tellectum & fidem,

In infantibus nondum est intellectus et fides,

Ergo non est necesse infantes Baptisari.

Respondeo ad minorem, Etsi nondum est
intellectus in infantibus, tamen Spiritus sanctus in ijs
est efficax pro ipsorum modo.

Quid

Quid uero de Reiteratione
Baptismi sentis?

Quod sit insignis Blasphemia, quæ nequaquam ferenda est in Ecclesijs.

Proba hoc Argumento ?

Improbatio ueræ inuocationis est peccatum,
Rebaptizari est improbatio ueræ inuocationis factæ in priori Baptismo.

Ergo est peccatum.

DE COENA DOMINI.

In consideratione doctrinæ de cœna Domini obseruanda sunt quatuor.

I.

Ipsa institutio, quæ expressa est in uerbis consecrationis. Hæc autem institutio de tribus grauissimis rebus nos commonefacit, quarum Prima est ut firmiter statuamus in Sacramento Christum nobis substantialiter exhiberi, Inquit enim. Hoc est corpus meum & hic est Sanguis meus, quæ uerba simpliciter intelligenda & nullo modo ad aliam significationem detorquenda sunt.

Secunda ut sciamus Deum per usum Sacramenti requirere conseruationem publicorum con-

K ij

gressu

gressuum inter eos, qui recte docent & discunt Eu-
angelium, ac Deum uere inuocant: Idco Paulus ait,
Conuenientibus uobis.

Tertia, ut de conseruatione Ecclesie usq; ad glo-
riosum aduentum Christi admoneamur. Iubet enim
idem Paulus annunciare mortem Domini, & hanc
coenam distribui, donec ipse Dominus ueniat.

II.

Secundo obseruande sunt finales cause, Prima
& praecipua est, ut singuli in usu Sacramenti ac-
cedant Fidem et sibi ipsis applicent promissionem.

Secunda est Gratiarum actio, quod Deus se pa-
tesfecerit, & instituerit externa signa, quae nos de
eius bonitate & gratia confirmant.

Tertia ut nostro exemplo inuitemus alios ad
conseruandas publicas congregationes et Ministeria
um Diuinitus institutum.

Quarta, Ut haec communio sit confessio doctri-
nae & uinculum mutuae dilectionis. Porro Fides in
usu coenae Domini acceditur et alitur duobus modis.

Primum cogitatione iusticiae Dei in puniendis
peccatis.

Secundo

Secundo consideratione amoris filij Dei, &
ueræ humilitatis.

III.

Tertio considerandum est, qui sint admittendi,
uidelicet, agentes poenitentiam & confugientes ad
misericordiam Christi. Econtra arcendi sunt ab usu
Cœnæ, qui se manifestis criminibus polluunt. Secus
ris enim non prodest manducatio. Nam cumulant
peccata peccatis, ac irrident beneficium Dei &
Christum contumelia afficiunt. Ob quam causam
diuus Paulus æternam mortem minatur indigne
manducantibus. Est etiam exploranda doctrina et
Fides auditorum. Interea tamen usus Sacramenti
propter priora delicta non est fugiendus, Sicut hi-
storia filij prodigi nos admonet.

IIII.

Postremo consideranda est horrenda prophe-
natio Cœnæ Domini, quæ multis modis facta est,
tum ipsis spectaculis, in quibus circumtulerunt pan-
nem consecratum, tum impijs sacrificijs & oblatio-
nibus pro uiuis & mortuis, Sed contra hos abusus
teneatur Regula: Ritus extra usum ad quem insti-
tuti sunt, non esse Sacramenta.

Siquidem autem ab hinc multos annos triste certamen de Controversia Coenae Domini non tantum commotum, sed subinde etiam summa animorum exacerbatione restauratum est, summam uerae et simplicis doctrinae quantum Epitomes ratio fert, paucis contraham.

Tria sunt non uulgaria errata de Coena Domini quae partim uel auctoritate Pontificia, partim eruditionis et eloquentiae adminiculo strenue defenduntur.

Primum est de Transubstantiatione et usu Sacramenti.

Secundum, de figurata locutione Verborum Christi: Hoc est corpus meum.

Tertium, De diuerso intellectu manducationis indignorum.

I.

Primo, Quod ad Transubstantiationem atinet, Manifestum est hanc blasphemiam in nostris Ecclesijs nullum habere locum, et multoties, ut idolatricam et plenam superstitionis ac neruum totius Papatus constanter refutatam et reiectam esse. Extant plurimae ueterum Orthodoxorum sententiae huic blasphemae doctrinae aduersantes,

Ac

Ac unicus Pauli locus hanc impiam doctrinam satis grauititer euertit 1. ad Corinth. 10. Poculum benedictionis cui benedicimus &c. Constat etiam ueteres usurpasse has loquendi formas In sub & cum pane, ut utrumq; in Cœna Domini uerè adesse affirmarent, Elementa uidelicet Panis & Vini & ueram præsentiam corporis & sanguinis Christi. Testimonium nullum adscribam cum ad uitandam prolixitatem, tum simul quod libelli de hac re editi omnium passim manibus teruntur. Opponitur quoq; huic impio decreto de Transubstantiatione, et inclusioni seu locali extra usû, seu durabili, firmissima Regula supra recitata: Extra usum nihil habere rationem Sacramenti.

Deinceps de Vero usu hoc ipsum docent Ecclesie nostræ, quod uerbis Institutionis & Paulinis explicationibus consentaneum est, Abusus uero Papisticos, qui ob quæstum & stabiliendam tyrannidem Pontificum inuecti sunt, prorsus reijciunt,

II.

Secundo, Negant figuratam locutionem in Principali uerborum Christi parte, & institutione tanti Sacramenti ostendi posse, Sed firmiter statuunt, Verba Filij Dei κατὰ τὸ ἕκτ' ὄν proprie, uerè

Et perspicue absq; figurarum inuolucris accipienda, intelligenda Et credenda esse: Accipite comedite Hoc est corpus meum, id est, Dato Et accepto hoc pane datur Et accipitur corpus Christi, Prout uerba hæc Paulus declarat: Panis quem frangimus communicatio est corporis Christi. Seruant tamen ut in mysterio omnium maxime stupendo debitam in loquendo Et declarando circumspectionem Et reuerentiam, Ne confundant manducationem Physicam, qua substantia Panis Et uini, communi more, comeditur aut hauritur, cum Sacramentali, qua quidem iuxta uerba institutionis, ut in mysterio coelesti Et incomprehensibili, dato Et accepto pane Et uino, corpus Et sanguinem Christi exhiberi Et accipi certum est, sed semota omni humana cogitatione de modo manducationis Physico. Etsi enim uere Et substantialiter Corpus Christi adesse, exhiberi, Et accipi à uescente statuant, Tamen modum præsentiae Et manducationis Physicum esse negant, eumq; nec uideri nec intelligi, Sed credi tantum posse adfirmant, Et hanc ipsam Sacramentalem manducationem discernunt à Spirituali, quæ in usu Et fine institutæ cœnæ consistit, accedente uera Et non dubitata fide, adplicante sibi Christi Dei Et hominis beneficia corporis eius traditione Et sanguinis eius effusione
parta

parta. Docent insuper nostræ Ecclesiæ summam proprietatem adhibendam esse in sequenti-
bus propositionibus & uocabulis: Christum cum
Pane & Vino Sacramentali unione uere & sub-
stantialiter, cum corpore suo adesse, idq; exhibe-
ri & certo accipi à uescentibus, sed ita, ne fin-
gatur localis inclusio, sicut prodigiosa ubiquitas,
aut superstitiosa & idolatrica adoratio clemen-
torum Panis & Vini. Sunt & in hac senten-
tia: Verba Christi: Hoc est corpus meum &c.
Neq; prædicationem esse usitatam, neq; figura-
tam propter aliquam similitudinem, neq; identi-
cam, ubi idem de seipso prædicatur, annihilata
seu abeunte substantia Panis, Sed esse prædica-
tionem Sacramentalem, soli Ecclesiæ ex Verbis
Christi notam. Approbant itidem eorum sen-
tentiam, qui humane rationi & iudicio intelle-
ctus frena iniicienda censent, ne nimis late uage-
tur in peruestigando modo præsentie Corporis
& Sanguinis Christi in cœna, Siquidem huius
præsentie modus, maiestati diuinæ committendus
est.

III.

Tertio. De manducatione indignorum tra-
dunt nostri hanc doctrinam. Verum corpus &
Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, tam ab
K 5 indignis

indignis quam à dignis percipi: Hoc tamen discrimine, quod dignè sumentibus sit manducatio salutaris, indignè uero manducantibus in maiorem condemnationem & iudicium cedat, sicut hæc I. ad Corinth. I I. traduntur: probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat, Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Huius asseuerationis de manducatione indignorum basis seu fundamentum est, Prædictum Pauli testimonium, Et regula haud dubie uerissima. Sacramenta semel instituta diuinitus hominum indignitate uel incredulitate non mutari. Indignos autem intelligunt ac nominant, Qui cum sciant & credant cœnam hanc communicationem corporis & sanguinis Christi esse, Accedunt tamen sine pœnitentia & sine fide probante semetipsum & dijudicante corpus Domini.

Digne uero sumentes eos esse statuunt, Qui adferunt pœnitentiam & fidem quærentem & expectantem consolationem in cœna hac propositam, quantumuis fides illa languida & exigua scintilla sit. De ijs uero qui prorsus sunt Athei seu impij & Epicureorum aut Academicorum more religiones omnes derident, & neq; cœnæ huius

ne huius institutionem, neq; alios fidei articulos credunt, aut ueros esse iudicant, nihil attinet disputare quid illi accipiant, Sed potius cum agnosci possunt à coena arcendi sunt, Ne margaritæ porcis, aut sanctū canibus proiectū uideatur. Tenenda est enim regula Sacramenta tantum sunt Sacramenta in usu instituto. Qui ergo nec institutionem nec ceteros articulos credunt, illi non sunt de illorum numero ad quos Sacramenta pertinent. Quare de his disputare superuacaneum est.

DE SACRIFICIIS.

Valde prodest in Ecclesia obseruare discrimen caeremoniarum, Ergo utile & necessarium est discernere Sacramenta & Sacrificia.

Sacramenta sunt caeremoniæ seu opera, quibus Deus nobis aliquid exhibet.

Sacrificia uero sunt opera, quæ nos ipsi Deo reddimus propter hunc finem, ut à nobis honore afficiatur. Sunt autem duæ species Sacrificij, Nam aliud est propiciatorium, aliud εὐχαριστικόν.

Propiciatorium est opus, quod meretur alijs remissionem culpæ & poenæ æternæ, seu est opus reconcilians Deum, & placans iram Dei pro alijs.

Regula.

Vnicum est ἰλαστικόν seu propitiatorium Sacrificium, nempe mors filij Dei, qui factus est λύτρον seu precium pro peccatis, idq; probatur multis testimonijs

testimonijs, Hebr. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel. Ioh. 17. pro eis Sanctifico me ipsum. Esaie. 53. Qui dedit animam suam pro delictis uidebit semen longæuum. Rom. 8, Damnauit peccatum per hostiam pro peccato, id est, per mortem, qua expiauit peccatum.

Cur igitur in ueteri Testamento tot genera fuerunt Sacrificij propitiatorij pro peccato, pro delicto &c?

Sacrificia ueteris Testamenti fuerunt tantum typi seu signa unigeniti Filij Dei Sacrificij, Nec merebantur remissionem alijs, nisi in externa conuersatione, Ideo inquit Paulus, Impossibile est sanguine taurorum & hircorum tolli peccata. Hoc loco refutatur etiam Idolatria, quam Sacrificuli in Missa priuata exercent. Cum enim unicum sit tantum $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon\varsigma$, nempe Filius Dei, qui semel se obtulit Deo patri pro peccatis nostris pendens in cruce, manifestum est, impie sentire Papistas, qui dicunt, se mereri alijs &c.

Sacrificium Eucharisticum, Est opus præceptum à Deo, quo nos Deo aliquid exhibemus propter hunc finem, ut à nobis honore afficiatur. Sic diuus Petrus præcipit offerre hostias spirituales, id est, bona opera quæ fiunt uera fide & bono motu cordis

cordis. Et Psal: 49. Immola Deo Sacrificium lau-
dis. Item Psal: 50. Sacrificium Deo Spiritus con-
tribulatus &c.

Ad quid profunt hæc testi-
monia ?

Vt sciamus Deum non requirere mactationes
pecudum seu sacrificia, quæ fiunt tantum externa
hypocrisi, seu ex opere operato absq; fide.

Proba id Argumentis ?

Duo opposita non sunt proprie unius & ei-
usdem rei simul.

Hostiæ spirituales, quæ sunt proprie noui
Testamenti, opponuntur hostijs pecudum.

Ergo, Hostiæ pecudum non sunt proprie noui
Testamenti.

Aliud Argumentum ?

Cultus spirituales sunt iustitia & fructus
Fidei.

Ergo non sunt tantum externa opera absq;
Fide.

Obiectio.

Cuiuslibet Sacrificij natura est ut pro alijs
applicetur.

Oblatio

Oblatio in Missa est Sacrificium,
Ergo recte applicatur pro alijs. Resp:
Negatur maior, Quia ab instantia probari
potest, nequaquam omnia Sacrificia pro alijs appli-
cari, ut obedientia in afflictionibus est Sacrificium,
sed non potest applicari pro alijs, Iuxta Illud: Unus-
quisq; mercedem accipiet iuxta suum laborem. Sic
et de oratione iudicandum est, quæ nihil offert,
sed tantum aliquid à Deo impetrat. Suntq;
omnia nostra opera cultus, qui debentur à nos-
tris ipsis.

Cur igitur Deus sæpe propter
paucorum probitatem mul-
tis sceleratis parcit.

Verum est bona opera, quæ in Decalogo
præcepta sunt, sæpe alijs mereri quoq; mitigati-
onem in hac uita, Ita tamen ut ad iustificationem
coram Deo nihil ualeant. Sacrificium autem Mis-
sæ non est opus præceptum à Deo, Igitur prorsus
est inutile et commentitium.

Supra discrimen factum est inter
Sacramenta & Sacrificia, cur igitur
Sacramentum coenæ Domini
inter Sacrificia à quibusdam refer-
tur?

Vnius

Vnius rei possunt esse plures fines, sed subordi-
nati. Principalis finis coenae Dominicae est, ut
singuli confirmet fidem & eius usu beneficium
Christi applicent.

Minus principalis, ut sit opus confessionis
& gratiarum actionis. Et hoc modo est Eucha-
risticon Sacrificium.

Postremo & hoc notandum est, non taxari
à nobis significationem Sacrificiorum, quae in uete-
ri Testamento praecipitur, sed persuasionem phari-
saicam de opere operato.

DE POENITENTIA

Propositio.

Deus iustus iudex & uerax, uult agnosci iram
suam aduersus peccatum, Igitur statim post lapsum
facta est in Paradiso prima concio poenitentiae. De-
clarauit uero iram suam Deus, inde usq; ab initio
tribus euidentibus signis.

Primo testimonijs scripturae.

Secundo singulis calamitatibus omnium tem-
porum priuatis & publicis.

Tertio morte Fi'ij sui. Necessaria est itaq;
doctrina de poenitentia, in qua ira Dei nobis re-
uelatur.

Quid

Quid est poenitentia ?

Poenitentia est Contritio & Fides, qua credimus nobis remitti peccata propter Christum, quam fidem sequitur nova obedientia erga Deum. Hæc definitio est sumpta à partibus. Sunt enim tres partes Poenitentiae, Contritio, Fides, & nova Obedientia.

Quid est Contritio ?

Contritio est pavor conscientiae agnoscentis iram Dei aduersus nostra peccata, & dolentis propter peccatum. Hanc contritionem præcipiunt hæc dicta. Agite poenitentiam. Item Ioel 2. Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Legatur dexterrima tractatio Loci de Poenitentia in commentario Lutheri Ioelis 3. & Pomerani. Ieremi : 3.

Regula.

In uera Contritione non tantum externa delicta, sed etiam interior immundities deploranda est. Causa uero instrumentalis, qua in Ecclesia mentes terrentur, est uox arguens peccata iuxta legem, & Vox arguens ignorantes Filium Dei, et non credentes filio Dei. Verum non est satis perterreri conscientias, sed oportet simul accedere consolationem
Euangelij

Euangelij, quæ uera fide turbatam conscientiam
erigit, & nos ad misericordiam Dei deducit.

Quid est Fides?

Fides non est tantum historie uel legis noticia,
sed fiducia qua credit unusquisq; sibi uere remitti
peccata à Deo propter Christum GRATIS. Huius
definitionis fundamentum est Articulus Fidei
Credo remissionem peccatorum &c.

Regula.

Pœnitentia tum demum firma et integra est, quan-
do ad Contritionem accedit Fides. Facit enim Fides
discrimen inter Petri & Iudæ Contritionem ac in-
ter Timorem seruilem ac filialem. Nam Contri-
tio sine Fide est horribilis pauor & dolor absq; di-
lectione, fugiens Deum tanquam acerbum & du-
rum iudicem. At Contritio cum fide est pauor et
dolor animi non fugientis Deum, sed qui agnoscit
iustam iram Dei aduersus peccata, & qui simul ap-
prehendit misericordiam Dei. Postremo fidem
necessario sequitur noua Obedientia, seu fructus
digni pœnitentia. Fides enim absq; operibus mor-
tua est. Ita tamen ut ipsa opera sint effectus fidei,
non causa præcedens.

L

Notæ

Nota.

Hoc loco duo uenenati & pestilentes errores
obseruandi sunt.

Primus est renatos non posse labi, & quam-
uis labuntur contra conscientiam, tamen iustos esse.

Confirmat hic error securitatem & licen-
tiam peccandi. Refutatur uero primo testimonijs
scripturae, Matth. 12. Cum immundus spiritus
egressus fuerit ab homine &c. Item 1. ad Co-
rinth. 10. Qui uidetur stare, uideat ne cadat.
Deinceps exēplis Saulis, Dauidis, Salomonis, Petri,
Commemorat Eusebius historiam plenam consola-
tionis de adolescente quodam, quem ex sodalitia
latronum Iohannes Apostolus retraxit, lib. 3.
cap. 23.

Tenenda est itaq; haec Regula: Renatos
labi posse, & lapsos contra conscientiam non
placere Deo, nisi rursus conuertantur.

Secundus error est Nouatianorum & Cas-
tharorum, qui negarunt lapsos post Baptismum
iterum consequi remissionem peccatorum. Hic
error extinguit fidem & accersit dubitationem
ac des

ac desperationem. Refutatur autem similiter testimonij & exemplis. Ezech: 33. Vivo ego nolo mortem peccatoris &c. Matth: 19. Si peccauit in te frater tuus, corripe eum, si audierit te, lucratus es fratrem, Nec pertinet hoc dictum ad priuatam tantum reconciliationem, sed refertur ad ministerium publicum, Lucraberis fratrem, id est, conuertes & restitues eum Ecclesie.

Scribit Socrates lib. I. Cap. 10. Christianissimum Imperatorem Constantinum falsè reprehendisse Acesium Nouatianorum Episcopum inquit: Pone scalam ô Acesi & solus in cœlum conscende.

Obiectio I.

Ad Hebr: 6. legitur, impossibile est eos qui semel illuminati sunt reuocari ad poenitentiam,

Ergo recte sentiunt Cathari. Resp:

In hoc dicto non τὸ ἔτιόν, sed sententia spectanda est, Multa enim diuersa dicta Christi, Prophetarum & Apostolorum mitigant hæc uerba & præbent locum concinnæ interpretationi. Loquitur autem Epistola ad Ebræos non de quouis delicto, sed de peccato in Spiritum sanctum siue de impoenitentia finali, & de extrema blasphemia, quæ à posteriori tantum cognoscitur.

Obiectio II.

Eadem epistola inquit, cap. 10. Voluntarie peccantibus post acceptam noticiam Veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicij.

Non negat hic locus lapsis ueniam, sed taxat superstitionem Phariseorum, qui subinde noua Sacrificia cumulabant, affirmantes ea mereri remissionem peccatorum, cum reuera illa Sacrificia tantum fuerint typi unius uenturae Victimæ Christi.

DE CONFESSIOE.

Initio huius loci obseruemus uarios usus uocabuli Confessionis. Significat enim Confessio primo enumerationem publicorum delictorum, in qua significatione & iam usurpatur.

Secundo arcanam agnitionem culpæ, Psal: 52. Dixi confitebor transgressiones meas Domino.

Tertio, Reconciliationem priuatam.

Quotuplex est Confessio ?

Duplex.

Publica, &
Priuata.

Publi

Publica in Ecclesia recepta & necessaria
est, Necessario enim in manifesto crimine
requiritur censura et enumeratio criminis.

Confessio uero Priuata seu auricularis, in
qua confitentes singula delicta recitare
cogebantur, non tantum non necessaria,
uerum etiam impia est.

Ratio I.

Quia est Idolatrica.

2. Quia sternit uiam ad superstitiosam Satis-
factionem.
3. Quia adducit mentes in desperationem. Re-
missio enim non pendet ex conditione enu-
merationis, sed ex gratuita condonatione.

Proba ab exemplo Auricularis
rem confessionem non
esse necessariam?

Neq; Christus neq; Apostoli praeceperunt con-
fessionem singulorum delictorum.

Ergo illa confessio non est necessaria

Probatur item ab impossibili. Est enim im-
possibilis enumeratio omnium delictorum iuxta il-
lud: Delicta quis intelligit?

Obserua.

Nihilominus tamen confessio priuata in Ec-
clesia

eclesia retinenda est, sed absq; superstitione enumerat
rationis.

Ratio I.

Vt petatur Absolutio.

2. Vt Pastor interroget suos auditores de doctrina.
3. Vt rudes instituantur de doctrina anteaquam ad Sacramenta admittuntur.
4. Propter conseruandam disciplinam.
5. Quia hæc confessio testimonium est, lapsos, qui uere agunt pœnitentiam, recipi à Deo in Ecclesia.
6. Item propter posteritatem. Sunt enim ritus publici durabiliores.

Probatur & ab autoritate ac testimonio Christi, absolutionem retineri oportere in Ecclesijs, Nam Christus clare dicit: Quicquid solueritis in terra, erit solutum in celo.

Regula.

Etsi cogere pastor non debet, ut quisquam dicat arcana facta, tamen pro ætate & uitæ genere prodest quedam de moribus interrogare, & utiliter admonere.

Quot sunt cogitanda accedentibus
ad Confessionem?

Tria

Tria. 1. Vt unusquisq; agnoscat suos lapsus, & cogitet se grauiter Deum offendisse & uere doleat.

2. Vt petas tibi applicari remissionem per uocem Euangelij.

3. Vt certo statuas, lapsos esse recipiendos.

Nota.

Optima forma confitendi est, quæ fit iuxta ordinem Decalogi.

Ratio I.

Illam enim formam primum nos commonefacit, qui lapsus sint peccata. Nam nullibi liquidius cognoscuntur delicta, quam ex Decalogo arguente peccata.

II.

Discernit gradus delictorum, Non enim omnia peccata paria sunt, ut Stoici finxerunt, sed alia alijs atrociora sunt.

III.

Monstrat discrimen inter Forense & Euangelij iudicium. Extat autem ea forma in locis.

Obiectio Aduersariorum, qui enumerationem omnium peccatorum necessariam esse contendunt.

I.

K 4

NON

Non potest fieri Absolutio sine cognitione delictorum.

In confessione petenda est Absolutio,

Ergo in confessione necessaria cognitio est singulorum delictorum. Resp:

Alia est Absolutio ministerij, alia civilium iudiciorum. Nam ministerium applicat Remissionem peccatorum omnibus agentibus poenitentiam absq; cognitione singulorum delictorum. At in civilibus iudicijs necesse est fieri cognitionem.

I I.

Consensus perpetuus Ecclesiae uidetur esse dogma à Spiritu sancto traditum.

Semper autem fuit mos enumerationis in Ecclesia.

Necesse est igitur eum morem retineri.

Respondeo ad Minorem. Vetus Ecclesia recitauit tantum manifesta delicta non priuata, quae nec intelligere nec meminisse possumus.

I I I.

Excommunicatio est necessaria.

Sed in excommunicatione fit enumeratio peccati.

Ergo enumeratio singulorum delictorum est necessaria.

Eadem est responsio, in excommunicatione.

tione enumerantur externa delicta. Excommunicantur enim homines; propter manifesta scelera. At superstitiosa Confessio flagitat omnium delictorum enumerationem, quæ est impossibilis, Ergo non est necessaria.

I I I I.

Contra nostram confessionem.

Homines nequeunt remittere peccata,

Ergo, Absolutio quæ fit à Ministris Ecclesie est res inutilis. Resp:

Ministri propria potestate non remittunt peccata, sed annunciant tantum remissionem singulis ex uerbo & mandato Dei.

DESATISFA

ctione.

Satisfactio est duplex Ciuilis, & Canonica.

Satisfactio Ciuilis præcipitur lege Dei, ut restituere alteri Coniugem, reddere debitam pecuniam.

Canonica uero seu Monachorum Satisfactio est plane ficticia & Idolatrica. Vocamus autem Satisfactionem Monachorum seu Canonicam opera & Cereemonias absq; uerbo & mandato Dei impositas, ut uel redimant pœnas purgatorij uel pœnas temporales.

Exempli gratia.

L 5

Si quis

Si quis delictum aliquod commiserit in hac uita, dicunt Monachi, Deum propter suam misericordiam id delictum remittere. Sed quia Deus simul iustus sit & uindex malorum, addunt Monachi non omnino remitti peccatum, sed poenam eternam tantum commutari in poenam temporalem purgatorij. Hanc poenam finxerunt redimi satisfactiõibus, quales sunt uigilie, Item macerationes corporum, Ieiunia, Elcemosynæ, cultus statuarum seu Idolorum.

Due sunt rationes propter quas superstitiosa Satisfactio explodenda est, Vna, quia obscurat Legem & præfert legi diuinæ commenticios cultus, de quibus Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Altera, quia obscurat Euangelium. Fingit enim nostra compensatione aboleri mortem eternam, cum solius Christi beneficio abolita sit. Hinc manifeste conspicitur, fabulas Monachorum de Satisfactionibus Purgatorij aniles & ficticias esse. E contra in Ecclesia retinenda est pura doctrina de satisfactione ciuili, quæ est necessaria iuxta illud: Peccatum non remittitur nisi ablatum restituatur. Similiter seruanda sunt præcepta, de ueris exercitijs seu mortificatione carnis, quæ longe superat puerilia exercitia Monachorum, ut sunt ieiunia & aliæ macerationes corporis.

Quot uirtutibus potissimum constat
doctrina

doctrina de ueris exercitijs seu de
mortificatione carnis :

Quatuor. Tolerantia in afflictionibus, Temperantia pro ut in genere omnibus aetatibus conuenit, Sedulitate in subcundis negotijs uocationis & praecatione.

De Tolerantia extat manifestum testimonium. 2. Corinth : 4. Semper mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Hanc Tolerantiam & Dauid petit Psal : 51. Redde mihi leticiam salutaris tui & Spiritu spontaneo sustenta me.

Temperantiam uero praecipit Christus Lucae 21. Cauete ne corda uestra grauentur crapula. Legitur & apud Paulum manifestum testimonium de Sedulitate : Hoc requiritur in ministro ut fide'is sit. Item milita bonam militiam habens Fidem & bonam Conscientiam. De praecatione infra dicetur.

Finis harum Virtutum est, ut studium discendi & retinendi Verbum sit in nobis ardentius. Non enim est efficax Spiritus sanctus in ijs qui indulgent prauis cupiditatibus. Deinceps accedit alius us finis, ut uidelicet haec pia exercitia arceant futura peccata. Luxu enim & ocio humanae mentes torpent, & facile incidunt in poenas. Hinc sequitur nos non labefactare disciplinam sublati's superstitionibus, sed congruentia uerbo Dei
precia

precipere & suadere longè utiliora, quam Monachi suaserunt.

Vtile est etiam de his exercitijs recitare tres Regulas.

Prima, firmiter est statuendum culpam & mortem æternam tolli solius beneficio Christi, non ullis exercitijs aut uirtutibus humanis.

Secunda statuendum & hoc est, Etsi Christus morte sua culpam & æternam condemnationem sustulit, quod tamen temporalibus pœnis Ecclesia subiecta sit propter certas causas, de quibus dicitur in loco de calamitatibus & cruce.

Tertia, Etsi nostra exercitia nihil conducunt ad remissionem seu salutem, tamen propter superiores causas uoluntaria diligentia cohercendi carnem retinenda est.

Obiectio I.

Sicut misericordie Dei est remittere peccata, Ita iusticie est punire, Necesse est igitur fieri commutationem pœnarum, Sicut non remisit Adæ & Dauidi sine pœna.

Resp:

Concedo antecedens, Nam iusticia Dei grauissime punit peccata, sed alio modo, quam Monachi opinantur. Non igitur sequitur pœnas ficticias esse probandas. Porro iræ Dei manifestum
stum

stam exemplum aduersus peccata extat, Primum
in morte filij Dei, Deinceps in contritione seu con-
uersione piorum. Existit enim acrior dolor in
uera contritione quam est mors ipsa. Tertio
conspicitur etiam ira Dei in multis pœnis quæ no-
bis irrogantur propter certa delicta

Obiectio I I.

Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur à
Domino, ne igitur Deus castiget, recte facit Eccle-
sia imponens pœnas.

Est fallacia à dicto secundum quid ad di-
ctum simpliciter. Concionatur enim Paulus non
de Hypocritica castigatione ac ceremonijs, sed de
tota pœnitentia seu Conuersione ad Deum de qua
et nos precipimus.

Obiectio I I I.

Mortificatio carnis in Scriptura sepe præ-
cipitur,

Satisfactio est mortificatio carnis.

Ergo et Satisfactio in scriptura præcipi-
tur. Resp:

Maior loquitur de mortificatione debita et
præcepta, uidelicet de ueris doloribus in Contri-
tione, et de uera Tolerantia in afflictionibus. Mi-
nor uero falso titulo mortificationis ornat satisfa-
ctiones

etiones indebitas, quæ sunt accersitæ lacerationes
& cruciatus corporis, quos Lex Dei seuerè prohibe
bet, inquit, Non occidas.

DE PRÆDESTI natione.

Quid usitate uocarunt Præ
destinationem?

Prædestinationem nominauerunt electionem alia
quorum ad æternam salutem. Sed de causis Stoici
cèlocuti sunt, finxerunt necessitatem Stoicam, qua
si Deus cogeret aliquos benefacere & alios male, &
non uelit nos intueri reuelatas promissiones, & fide
ad eum confugere, Sed quærere alia arcana consilia
Dei. Hæc imaginatio reijcienda est. Quia facit
Deum προσωπολήπτορα, qui non æquali modo
omnibus sit propitius, bonus seu misericors. Deinceps
inducit animos in dubitationem, quæ Fidem
prorsus extinguit. Eruenda igitur est ex animis
humanis hæc imaginatio de prædestinatione.

Quid igitur de prædestinatione
sentiendum est?

1. Quod de uoluntate Dei non ex iudicio rati
onis & dignitate nostrarum uirtutum iudi
candum sit, sed tantum ex Euangelij doctri
na.

2. Quod

2. Quod in uerbo Dei omnibus uere poenitentibus offeratur misericordia & gratuita acceptatio, sine ulla propriarum uirtutum dignitate.
3. Quod extra hanc doctrinam Euangelij, quae est agnitio Christi et eius beneficiorum, nulla sit electio, teneantur itaq; hae Regulae.

Regula I.

Euangelij uox uniuersalis est non secus ac praedicatio poenitentiae. Iohannis 3. Omnis qui credit in ipsum non peribit, Matth: II. Venite ad me omnes qui laboratis &c. Item Rom: II. Concluse Deus omnes sub peccatum ut omnium misereatur.

Regula II.

Euangelij uox non tantum uniuersalis, sed etiam gratuita est. Hinc igitur satis constat, causam reiectionis non esse transferendam in Deum, qui uult omnes homines saluos fieri, sed in peccatum & malam uoluntatem hominum aspernantium Verbum. Porro cause electionis hae sunt, Principalis est misericordia in uoluntate Dei, qui propter filium recipit & saluat credentes.

Deinceps accedit alia causa nempe uoluntas humana assentiens uerbo & apprehendens misericordiam Dei, quae in Euangelio omnibus

nibus offertur. Ergo sicut in iustificatione, ita in electione Ecclesia à posteriori iudicat, eos esse electos qui Fide apprehendunt misericordiam propter Christum promissam, & qui eam ad extremum non abijciunt.

Dic testimonia nostram
uoluntatem oportere
assentiri Verbo:

Phil: 2. Deus qui efficit ut uelitis, efficiet etiam ut perficiatis, id est, Deus trahit mentes ut uelint & promittit se affuturum nobis, Interea autem oportet & nos assentiri Verbo et pugnare cum diffidentia et uiciosis affectibus, sicut ait Chrysostomus, Trahit Deus, sed uolentem trahit. & Basilius, Tantum uelis & Deus praecurrit, Item ad Rom. 8. Quos elegit hos & uocauit. Hoc dictum triplicem consolationem proponit.

1. Solos illos electos esse, qui sunt per uerbum uocati, seu qui audiunt & profitentur uerbum.

2. Electionem & uocationem esse coniungendam, & quod Deus per Euangelium sit efficax.

3. Deum

3. Deum adesse huic coetui uisibili, quem non
cauit. Sic etiam in 9. cap. uult Paulus ele-
ctionem non pendere ex lege & ordinaria
successione, quemadmodum Iudaei olim ima-
ginabantur, sed ex promissionibus diuinis &
uoluntate assentiente promissionibus, Ideo
inquit, Misereor cuius misereor, id est, ho-
mines non sunt electi propter legem aut pro-
prias uirtutes, sed propter filium Dei electi
& condita est Ecclesia, Propter hunc enim
solum, Deus nostri miseretur.

Conscientia igitur perterrefacta uoce legis,
querat nullibi causam acceptationis, quam in Eu-
angelio, & firmiter assentiatur doctrinae Euange-
lij, ac uera fide sibi ipsi applicet promissionem fa-
ctam in Euangelio, & speret futuram liberatio-
nem. Nec dubitet de uoluntate Dei, etsi in hac
uita magna sit confusio, quam infinita pericula tum
in publica tum in priuata uita sequuntur.

DE REGNO Christi.

Quid est Regnum
Christi ?

¶

Regnum

Regnum Christi est regnum spirituale, in quo
Christus sedens ad dexteram Patris regnat in eter-
num cum eterno patre & presens est Ecclesie ui-
uificans & sustentans eam, ac mittit in corda cre-
dentium Spiritum sanctum, & dat dona hominibus,
id est, seruat ministerium, & colligit sibi perpetua
am Ecclesiam, in qua per Spiritum sanctum efficax
est, regenerans mentes hominum, & liberans cre-
dentes ab eterna morte, a peccato & tyrannide
Diaboli, suosq; etiam in hac uita mirabiliter defen-
dens iuxta suam uoluntatem.

Hec definitio Primo illustrat magnitudinem
huius Regni.

Est enim efficacius & augustius ceteris re-
gnis, & quia eternum est, & quia destruit in-
sensissimos hostes, Peccatum & tyrannidem Dia-
boli, ac pijs infinitam leticiam prestat.

I I.

Refutat etiam iudaicum errorem, quem &
Anabaptistae renouarunt, qui somniant Ecclesiam
ante nouissimum diem fore mundanam politiam, in
qua subactis hostibus pijs regnaturi & suaue ocium
sine omni impedimento acturi sint.

I I I.

Tollit ex animis securitatem, in quam mentes
humane incidunt sperantes noua imperia mun-
dana

dana, & reducit consolationes spirituales, ne pij in
tanta confusione imperiorum & tristissimis ærum-
nis huius uitæ desperent, cum in regno Christi non
ciuilia ornamenta, sed æterna liberatio expectanda
sit.

Proba testimonijs Scripturæ
Regnum Christi spiri-
tuale esse?

Iohan: 17. Hæc est uita æterna, ut te agnosca-
cant uerum Deum & quem misisti Iesum esse Chri-
stum, id est, Mediatorem. Vocat hoc loco uitam
æternam, (id est, Regnum Christi) non uim exter-
nam aut corporalem politiam, sed ueram agnitio-
nem Dei, Ergo regnum Christi non est corporale,
sed Spirituale.

Ad Rom: 8. Qui est ad dexteram Dei &
interpellat pro nobis, Ergo Christi officium non est
gubernare Rempublicam ciuilem, sed in æternum
cum Patre æterno regnare & Spiritu sancto suo
colligere & conseruare Ecclesiam.

Probatum idem à consequenti. Christus in
extremo iudicio destruet regnum Antichristi.

Ergo Christi regnum non est mundanum, sed
Spirituale, quod post resurrectionem piorum, de-
uicta morte, & destructis operibus Diaboli, omni-
bus electis communicabitur.

M 2

Item

Item à persecutione Ecclesie.

Semper in hac uita usq; ad extremum iudicium aliqui tyranni Ecclesiam persequentur, Ergo, integra liberatio non est futura ante nouissimum diem, sed post aduentum Christi.

Item à contrario sensu seu per Antithesin.

Nulla politia corporalis in hac uita est æterna.

Regnum Christi est æternum.

Ergo regnum Christi non est Politicum, sed Spirituale.

Ad quid conducunt hæc testimonia seu Argumenta?

Primum ne pij in hac misera & inquieta uita somnient florentem Rempublicam, in qua tranquillo & suauo ocio, sine aliqua acerbitate, fruituri sint, sed ut præparent sese ad tolerandum miseriam huius ærumnosæ uitæ, & uera patientia ac fide expectent spirituale Christi regnum, in quo tandem ab omnibus ærumnis liberabuntur, Ideo inquit Paulus ad Rom. 8. Cohæredes Christi sumus siquidem simul patimur, simul etiam glorificabimur. Item, Quos elegit hos uult conformes fieri imaginis filij sui.

Secundo, Ut sciamus ministros uerbi non habere

bere mandatum coercendi vi corporali, sed tantum docendi Euangelium & administrandi Sacramenta, ac uerbo excommunicandi manifestis sceleribus pollutos.

Obiectio Iudeorum & Anabaptistarum?

Quicquid politicè describitur spectat ad hanc uitam Ciuilem seu corporalem.

Regnum Christi describitur sæpe à Prophetis politicè.

Ergo, Regnum Christi est ciuile seu corporale.

Resp :

Nego consequentiam, quia est ambiguitas. Describunt enim Prophete Regnum Christi corporaliter, non propriè, sed allegoricè, Nam cum humana ratio nihil pulchrius aut admirabilius inueniat quam regnorum Maiestatem & præstantiam Magistratum, sumpserunt hinc Prophete similitudines seu Metaphoras ad illustrandum æternum Regnum Christi.

DE RESURRECTIONE Mortuorum.

Confirmat hic locus articulum Fidei de Resurrectione mortuorum, quam sequutura est uita æterna.

M 3

Quos

Quot modis probas Resur-
rectionem Mortuorum
& uitam æternam?

Duobus: Primum testimonijs scripture &
quibusdam Argumentis. Deinceps exemplis re-
suscitatorum.

Esaiæ 26. *Viuent mortui tui, interfecti mei
resurgent &c.*

Quatuor complectitur hoc testimonium.

1. Resurrectionem, inquit enim Mortui ui-
uent.

2. Futuram læticiam Sanctorum, Dicit enim
Mortui tui, (id est, Sancti, qui propter no-
men tuum interfecti sunt) expergiscuntur et
letabuntur ac erunt uelut Ros pratorum.

3. Concionatur de breuitate ærumnarum
huius uitæ. Nam addit abscondere modicum
ad momentum.

4. Recenset poenas impiorum his uerbis:
Dissipabit iniquitatem habitantium terram.

Esaiæ 65. *Ecce ego creo Cælos novos &
Terram nouam &c. Testatur & hic lo-
cus.*

1. De resurrectione & instauratione inte-
græ nature. Non audietur in ea ultra uox
fletus

2 De

2. De leticia & uita eterna: Infantes & senes
perpetuo uiuent.

3. De poenis impiorum: Peccator centum annorum morietur.

4. De afflictionibus Ecclesie ante resurrectionem, que afflictiones sunt testimonia, quod Ecclesia post resurrectionem habitura sit gloriam sine Cruce.

Esaie 66. Sicut Cœli noui & Terra noua dicit Dominus, sic stabit Semen uestrum &c. Concionatur hoc loco Propheta de tribus grauissimis rebus.

1. De eterna leticia piorum, Nam inquit, Stabit Semen uestrum & nomen uestrum coram me.

2. Quis illis sit illa leticia, Nempe perpetua Sabati celebratio, hoc est, perpetuus cultus & agnitio Dei.

3. De poena impiorum concionatur cum inquit: Vermis eorum non morietur, id est, sustinebunt perpetuos cruciatus.

Esaie 25. Et deuorabitur in monte hoc facies inuolutorum &c. id est, Resuscitabit mortuos & liberabit electos suos ab omnibus persecutionibus, à peccato & morte eterna. In hoc testimonio, Facies inuolutorum ipsam mortem corporalem notat per Metonymiam, seu Metalepsin. Iob

¶ 9. Scio quod Redemptor meus uiuit & in nouissimo die &c. Continet hic locus amplissimam doctrinam scilicet, quod recepturi simus idem corpus sed clarificatum, & quod uita aeterna sit notitia Dei, huc & Argumenta pertinent.

I.

Deus est Deus uiuorum.
Deus est Deus Abrahæ,
Ergo Abraham uiuit, & in nouissimo die resurrecturus est.

II.

Pij in hac uita affliguntur,
Deus promittit præmium pijs,
Ergo illa præmia expectanda sunt non in hac, sed in altera uita.

III.

Impossibile est præstantissimam naturam conditam esse ad interitum.
Sed in hac uita præstantissima natura condita est ad interitum,
Ergo restat alia uita, in qua pij accepturi sunt præmia, sicut inquit Psal: 21. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, uiuent corda eorum in seculum seculi.

Recense & exempla resuscitatorum.

Enoch

Enoch & Helias uiui translati sunt ad Deum
ut expresse legitur in textu, Item Christus resusci-
tauit filium Viduæ, filiam Iairi & Lazarum. Imo
etiam cum ipso Christo multi resuscitati, colloqui
sunt quadraginta diebus cum ipsis Apostolis.

Quare colloquium Christi
& resuscitatorum tot die-
bus cum Apostolis
durauit?

1. Vt Apostoli statuerent, & nos quoq; statu-
amus, Christum & resuscitados non fuisse fu-
gacia spectra, sed re uera differuisse de re-
stauracione humani generis, & de inchoa-
tione æterne uitæ.
2. Vt his exemplis Fides seu assensus de futura
resurrectione in nobis stabiliatur,
3. Vt facilius ærumnas huius fugacissimæ uitæ
feramus, cogitantes de iucundissimo & æ-
terno sodalicio Christi & resuscitatorum.

DE SPIRITV ET

litera.

Quod est discrimen inter Li-
teram & Spiritum?

Litera est qualiscunq; cogitatio, assuefactio
disciplina

M 5

disciplina & bona intentio absq; ueris motibus cordis, seu absq; uera agnitione Dei, timore & fide. Econtra Spiritus significat præter disciplinam & assuefactionem externam, ardentem motum in pectore, id est, ueram agnitionem, dilectionem, timorem & fiduciam Dei, ut Saul Hypocrita & Dauid simili modo conantur facere externa opera siue Cereimonialia, siue Politica. Quod igitur ad literam spectat, id est, ad externam disciplinam seu assuefactionem, nullum est discrimen inter Hypocritam Saulem & Dauidem. Sed si de Spiritu cogitamus magnum est inter eos discrimen. Saul enim nihil præter externam disciplinam & assuefactionem præstat. At in mente Dauidis præter opera externa, lucet uera agnitio & inuocatio Dei, afficitur præterea uero sensu timoris, et erigit sese in difficultatibus fiducia præsentis & æterni auxiliij.

Recte igitur Litera est tantum umbra, quæ in difficultatibus aut periculis euanescit, nec est firma consolatio, ut tandem Saul oppressus est.

Spiritus uero significat Spirituales motus rectos & firmos, qui à Spiritu sancto oriuntur & in cordibus piorum ardentes sunt.

Dic Testimonia :

Psal

Psal. 51. Cor mundum crea in me Deus &c.
Hi uersiculi illustres sunt, in quibus Dauid quatuor
res grauißimas petit.

1. Firmam agnitionem Dei,
2. Regenerationem seu uerum sensum timor
ris Dei aduersus peccata & ueram fiduci-
am, qua mens agnitione misericordie Dei so-
erigit & sustentat.
3. Gubernationem in actionibus.
4. Constantiam in afflictionibus.

Iohel. 2. Effundam de spiritu meo super
domum Dauid.

Obseruetur in hoc testimonio Emphasis parti-
culæ Meo, significat enim Spiritum sanctum effice-
re in nobis societatem diuinæ naturæ, & accendere
in mentibus nostris ueros & arden-tes motus con-
gruentes cum uoluntate Dei.

Zach: 12. Effundam super domum Dauid Spi-
ritum gratiæ & precum, id est, talem Spiritum,
qui in cordibus nostris testificabitur, quod simus
recepti in gratiam, & qui simul accendet novos
motus inuocationis & obedientiæ. Paul. 2. ad
Corinth. 3. Vocat legem Literam & ministe-
rium mortis. Quia Lex absq; consolatione Eu-
angelij efficit in hac corrupta natura tantum Phi-
losophicam disciplinam, & adfert terrores non
uitam. Euangelium uero appellat idem Paulus
minister

ministerium Spiritus. Audita enim Euangelij promissione mittitur in corda credentium Spiritus sanctus, qui testatur peccata propter Christum nobis remissa esse, & qui simul accendit novos & arduos motus inuocationis, dilectionis & obedientie.

Ad quid conducunt hæc
• Testimonia •

Primum, Vt sciamus Spiritum sanctum efficere per Euangelij uocem novos motus in credentibus & assentientibus uerbo. Nam in Hypocritis & impœnitentibus, Euangelij doctrina est tantum litera seu fugax umbra. At in credentibus est ministerium Spiritus accendentis ueram lucem in mente & novos motus in corde.

Secundo, ut acquiescamus promissionibus Euangelij, nec expectemus novos Enthusiasmos aut reuelationes extra Euangelium. Non enim alio modo Spiritus sanctus datur & efficax est, quam per uocem Euangelij.

Obiectio I.

Origenes affirmat Literam significare grammaticum sensum historiarum, Spiritum uero uero allegoricam interpretationem.

Ergo superius discrimen non recte traditur,

Resp:

Inerudite

Inerudite hęc distinctionem finxit Origenes,
& refutatur à proprietate liguarum, qua perpetuus consensus Ecclesię usus est. Etsi enim interdum allegoricę imagines in Historijs proponuntur, tamē illę ipse imagines quoq; sunt literę seu umbra mortua, sine motibus Spiritus sancti.

Obiectio I I.

Paulus nominat legem literam,
Quare igitur ad Rom, 7, dicit, Legem esse spirituales?

Duplex est usus legis, Politicus & Spirituales. Si de Politico loquimur, hoc est, de conseruatione externę disciplinę, Paulus supra recte affirmavit Legem esse literam seu fugacem umbram, Si uero de spirituali usu cogitamus, id est, de perterrefactione conscientiarum, Spirituales dicitur. Illam enim agnitionem iudicij & irę Dei aduersus peccata efficit Spiritus sanctus.

Porro, etsi externa disciplina legis est tantum litera in impęnitentibus, tamen homines propter quatuor causas assuefaciendi sunt ad disciplinam.

1. Quia necesse est Deo præcipienti disciplinam obedire.
2. Ut uitemus pœnas.
3. Quia reliquis hominibus opus est tranquillitate.

4. Quis

4. Quia Lex est pædagogia in Christum, Christus enim non est efficax in contemptoribus disciplinae, qui perseverant in manifestis sceleribus & conturbant Spiritum sanctum.

DE CALAMITATIBUS & CRUCE.

Ipsa quotidiana experientia & tristissima exempla calamitatum, quæ in Tragœdijs & historijs extant conuicerunt Ethnicos de magnitudine miseriarum in genere humano. Sicut illa tristissima historia de Xanthijs testatur apud Plutarchum in uita M. Bruti. Fontem autem harum calamitatum non perspexerunt, sed excogitauerunt iudicio rationis tres causas ærumnarum. Alij enim quæsiuerunt causam in materia, quam fluxam esse dixerunt & subinde appetere nouas uices. Alij transtulerunt eandem non tantum in materiam, Verumetiam in positus stellarum. Alij in uoluntatem humanam.

Quottuplicia sunt mala in genere humano :

Duplicia αὐτόματα. &
 ἐκδοσια.

αὐτόματα, sunt quæ præter nostram opinionem, culpam & uoluntatem accidunt.

ἐκδοσια, uero, quæ uel errore iudicij, uel contumacia uoluntatis ipsi nobis accersimus. Constat igitur

igitur postremam tantum ex superioribus tribus Philosophicis causis ueram esse de uoluntarijs malis.

αὐτόματα uero mala, prorsus ignorarunt Philosophi. De his enim duntaxat ex doctrina Ecclesiae iudicandum est.

Quot sunt itaq; causæ calamitatum iuxta doctrinam Ecclesiae?

Respondeo, Tres.

Prima seu principalis est peccatum, seu lapsus primorum parentum, post quem præstantissima natura hominis suam dignitatem amisit & in hac corrupta uita subinde languidior facta ac infinitis ærumnis subiecta est.

Secunda causa est ira Dei certa lege puniens scelera.

Tertia. Tertio accedit aliunde causa, rabies uidelicet Diaboli, qui in hanc imbecillem naturam seuit, ac multipliciter furores ac calamitates humani generis auget. Sed hoc loco obserua, Etsi ἐκ δόξια mala oriuntur uel ex errore iudicij, uel ex contumacia uoluntatis, tamen & horum malorum fons seu Origo est peccatum. Nam errores & prauæ cupiditates, quales fuerunt in Cain, Esau, Absalon, Antonio &c. sequuntur ipsam naturæ corruptionem.

Dixisti

Dixisti peccatum esse causam calamitatum, Cur igitur multo magis Ecclesia Dei, in qua minus est peccati onerata est miseris, quam impia multitudo, Cur etiam impij Principes magis florent opibus, dignitate & Autoritate, quam Pij?

Octo recensentur cause, quæ nos de hac questione commonefaciunt.

- 1. Prima causa est lapsus primorum parentum & horribilis corruptio naturæ humanæ.*
- 2. Interior immundities, quam extra afflictiones non intelligimus, Huius cause finis est pœnitentia Ierem: 30. Castigabo te in iudicio, ne tibi uidearis innocens.*
- 3. Est rabies Diaboli, qui ardet magno odio Christi & Ecclesiæ. Rabiose enim insidiatur pijs ut irretitos multis malis adigat tandem ad desperationem: 1. Petri ult. Circumitit tanquam Leo rugiens &c.*
- 4. Causa sunt certa delicta propter quæ punimur. Huius cause finis est etiam pœnitentia, & ut alij commonefiant de Timore Dei. Plerumq; enim Deus certa delicta certis pœ-*

tis poenis punit iuxta regulam. Quo quisq;
modo peccat, eo punitur.

5. Est testimonium doctrinae.

2. Tim: 3. Omnes qui pie uolunt uiuere in
Christo, persecutionem patientur.

6. Est testimonium immortalitatis.

Deus ornat praemijs bonos,

In hac uita boni non ornantur praemijs.

Ergo restat alia uita in qua boni recepturi
sunt praemia,

7. Ut efficiamur similes imaginis filij Dei.

8. Ut uideamus Ecclesiam non humanis consi-
lijs, sed Diuinitus regi, & ut in nostris peria-
culis agnoscamus praesentiam Christi.

Vsus harum causarum.

Primo, ut flectamus animos ad timorem Dei
& praemuniamus nos aduersus scandala.

Secundo, Ne deficiamus à Deo propter aerum-
nas Ecclesiae, sed ut in ipsis calamitatibus ex uerbo
Dei quaeramus consolationes. Sicut enim remedia
non possunt adhiberi non explorata causa, Ita con-
solationes absq; agnitione causarum proponi ne-
queunt.

Recita nunc econtra praecipua
capita consolationum.

N

x. Scientia

Primo, Sciendum est nos non affligi casu, sed sciente Deo. Usus huius primæ consolationis est, ut Epicureas opiniones ex animis extirpemus, Non enim casu nascuntur aut pereunt homines, Sed affliguntur p̄i bono Dei consilio, 1 Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit &c.

Secundo, permittit Deus afflictiones non ut perdat, sed ut agnoscamus eius iram aduersus peccata, & ut retrahamur ad pœnitentiam. Con-
tinet hoc secundum caput consolationis causam fi-
nalem, propter quam punimur. Psal: 118.
Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas: Esaie: 26. Domine in tribulatione uisitant te, angustia in qua clamant disciplina est eis.

Tertio. Non deest promissio auxilij, Est uero
hec doctrina à Philosophicis opinionibus plane
aliena, statuimus enim humano iudicio oppressos
erumnis negligi à Deo.

Econtra Euangelij doctrina testatur homines affligi propter peccata, non ut pereant, sed ut reuocentur ad pœnitentiam, Eademq; doctrina in ipsis erumnis promittit liberationem & auxilium Dei: alioqui enim magnitudinem iræ Dei sustinere nemo possit, Vt inquit Psal: 129, Si iniquitas
quitas

quitates obseruaueris Domine, quis sustinebit. Mitigatio uero ærumnarum est, quod Deus iuuat, sustentat & corroborat nos in afflictionibus.

Quarto, Promittitur simul spes & expectatio auxiliij etiamsi in hac uita affligimur. Usus huius capituli est, ut reuocemus animum ab externa ope & defensione ad futuram liberationem. Interea tamen licet quoq; uti rebus à Deo ordinatis, sed ita, ut magis confidamus Deo, quam externis rebus.

Quinto, Habemus mandatum Dei requirentis à nobis obedientiam in afflictionibus, ut uidelicet cogitemus nos iuste puniri, utq; inter puniendum à Deo firma fide petamus auxilium & mitigationem. I. Petri ult : Humiliamini sub potenti manu Dei, id est, Humiliamini sub ipsa potentia Dei, quæ euertit superbos & erigit afflictos.

Ex his capitibus facile cernitur discrimen Philosophicæ & Christianæ patientiæ. Philosophica neq; causas ærumnarum nouit, neq; consolationes firmas proponit. Consolatur enim tantum à necessitate, Item, à Virtutis dignitate & exemplis. Quæ etsi aliquo modo uera sunt, firmam tamen & integram consolationem nequaquam docent. Christianæ uero consolationes recitant causas calamitatum efficiemes & fi-

nales, & monstrent simul mitigationem ac liberationem harum calamitatum.

Ut uero breuiter cause ærumnarum & consolationes in conspectu sint, teneantur hæc perspicua & nota uocabula.

Primum genus est τιμωρία, id est, Pœna propter certa delicta, quæ nos admonet de iustissima ira Dei punientis certa delicta, certis pœnis.

Secundum genus est δοκιμασία, id est, exercitium Fidei & inuocationis.

Tertium genus est μαρτύριον, id est, Testimonium doctrinæ.

Quartum est λυτρωσις, id est, mors filij Dei, cuius imaginis oportet nos similes fieri.

DE INVOCATIONE Dei, seu de Precatione.

Non est difficilius opus precatione, ut Agathon Eremita dixit, Ideo hæc uirtus fideliter exerceatur propter tres causas.

1. Quia exuscitat Fidem, & immediate celebrat Deum.
2. Nos admonet de discrimine promissionis gratiæ & bonorum corporalium.
3. Hæc ipsa uirtus est unicum & firmum propugnaculum Ecclesiæ.

Ergo utile est recte erudiri homines de omnium

nium

nium maxima uirtute, quæ solius Ecclesiæ
propria est

Sunt autem duæ species Inuocationis.

Oratio &

Gratiarumactio.

Oratio seu petitio est quando aliquid à Deo
petimus.

Gratiarumactio, qua Deo agimus Gratiarum
pro accepto beneficio, & testamur uere nos
à Deo adiutos esse, ut celebratione huius be-
neficii nos & alios ad timorem Dei, ad fidem
& inuocationem inuitemus.

Contra.

Si inuocatio solius Ecclesiæ
est propria, Cur etiam
Iudæi, Ethnici &
Turcæ precantur ?

Ethnicorum & Turcarum precatio est inane
nis Battologia, Neq; enim essentiam Dei, neq; uo-
luntatem agnoscunt. Ideo semper dubitant, quem
Deum inuocent, Item an exaudiat & adiuuet inuo-
cantes, Sicut statua Iouis in Creta, quæ nec aures
nec oculos habuit, significauit nullam esse prouiden-
tiam, nec recipi preces hominum.

Quot sunt in uera inuocatio-
ne cogitanda ?

N 3

Quinq;

- Quinq; 1. Quem Deum inuoces, de hac questione ex solo uerbo iudicandum est, ueluti in primo loco de Deo audiuius.
2. Præceptum de precando, Quia non est liberum orare uel non orare, sed Deus seuerè hunc cultum à nobis exigit, Sicut multa testimonia testantur Luc. 18. Oportet semper orare & non defatigari. 1. Theß. 5. Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite &c.
3. Cogitande sunt promissiones, nostras preces non irritas esse. Sed hoc loco semper sit in conspectu promissio de gratuita remissione, que in omni precatione prælucere debet. Hebr. 4. Habentes talem Pontificem accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Matth: 7. Petite, & dabitur uobis, Psal: 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Et præclare dixit Taulerus: Nunquam esse humanam mentem tam auidam ad petendum, quin Deus sit multo auidior ad dandum.
4. Quod necesse sit in omni petitione accendi Fidem. Versatur autem Fides, uel circa Spiritualia bona, uel circa corporalia. In petendis Spiritualibus bonis Fides nullam admittit condi-

conditionem. Promisit enim Deus bona spiritualia absq; ulla exceptione omnibus, qui uera fide ea amplectuntur, At in petendis corporalibus bonis certæ conditiones obseruandæ sunt. Etsi enim Deus dat quoq; corporalia bona, tamen ea expectari debent non ut nos cupimus, sed iuxta uoluntatem Dei, Nec Deo præscribendum est tempus & modus. Hac ratione leprosus orat: Domine si uis potes me mundare. Et Christus ipse inquit: Pater, si possibile est transeat à me Calix iste, Sed non quod ego uolo sed quod tu uis, fiat. Item Dan: 3. Deus noster quem nos colimus, potest nos eripere, quod si noluerit notum sit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus, Hæc autem Fides specialis, quæ uersatur circa bona corporalia, confirmanda est ipso usu, quando cor in periculis discit inuocare & confidere Deo, Exemplum habemus in Dauide, qui pulsus à filio petit & expectat reductionem in Regnum, sed ita ut offerat Deo obedientiam suam si eum nolit reducere. Dicit itaq; 2. Reg: 15. Si inuenero gratiam in oculis Domini reducet me. Sin autem dixerit mihi non places, presto sum, Faciat quod bonum uidetur ipsi.

5. Postremo cogitandæ sunt res petendæ, quæ uidelicet non sunt prohibitæ mandato Dei, Obseruandus est & ordo in hisce rebus petendis.

Primum enim est querenda reconciliatio & inchoatio regni Dei iuxta petitiones, quæ congruunt cum prima tabula.

Deinceps petendæ sunt res corporales. Est enim ingens infirmitas nostra, quod ad animam & corpus attinet. Ideo incrementum Fidei & incolumitas totius uitæ à Deo expectari debet, cuius auxilio nobis in omnibus rebus opus est. Ac etsi nostra diligentia aliquo modo externa delicta uisitare possimus, tamen homo non semper est uigilans, & accidere multa præter opinionem possunt. Ideo semper petendum est auxilium Dei.

Sunt ne petenda quoque bona corporalia?

Sunt petenda & quidem propter tres causas.

1. Vt certo statuamus non casu obijci nobis corporalia beneficia, sed quod horum beneficiorum sit dator ipse Deus.
2. Vt sint exercitium Fidei & inuocationis.
3. Vt sciamus Deum propter conseruationem doctrine præbere nobis hospicia, uictum & defensionem.

Ex his satis constat non audiendos esse eos
qui

qui contendunt bona corporalia non esse petenda,
Sic autem argumentantur.

Deo gratis seruiendum est,

Ergo non licet petere talia premia, qualia
sunt bona corporalia.

Resp:

Negamus consequentiam, non enim princi-
paliter petimus bona corporalia, ut sint premia la-
borum, sed ut sint admimicula uocationis nostræ.
Nam sine uita, hospitij, uictu, defensione, bona ua-
letudine &c. non possumus propagare doctrinam
de Deo, aut alias res huic uitæ necessarias & utiles.

Refutamus igitur hanc Stoicam obiectionem,
Primum à connexis, Deinceps à præceptis, quæ nos
hortantur ad petendum bona corporalia, Item, à
promissionibus & exemplis Patrum & Prophetarum.

Estne utile tenere peculiarem
aliquam formam pre-
candi?

Est utile, Melior autem forma non extat,
quam ea, quæ à Christo nobis in oratione Domi-
nica præscripta est. In qua consideranda requi-
ritur attentio. Etsi enim precari uidetur leue &
uulgare opus, tamen reuera nullum est difficilius
opus, quam dicere preces, ut quidam ex
Eremitis dixit. Et hæc ipsa animi attentio

N S

impre

in precando exuscitat fidem, & nos de multis gra-
uibus rebus docet. Nam per eiusmodi preces,
quæ attentè fiunt, Spiritus sanctus est efficax, sicut
Christus inquit, quanto magis dabit Pater Spiritum
sanctum petentibus. In ueteri Testamento quoq; usi
sunt peculiari forma, qua ueram inuocationem dis-
cernebant ab impiorum preces, ut Gen: 32.
ait Iacob: Deus patris mei Abraham & Deus patris
mei Isaac (Iehoua) qui dixisti mihi, benefaciam ti-
bi &c. Sic & in nouo Testamento ad Christum in-
quit Thomas: Dominus meus & Deus meus &c.

Expositio orationis Dominice discatur uel ex
Locis, uel ex Catechismo Lutheri.

Estne probanda inuocatio hominum mortuorum?

Non est probanda, propter tres grauissimas
causas.

1. Quia est Ethnica consuetudo, nullo man-
dato Dei aut testimonio diuino confirmata,
sed orta est à furore Diaboli, qui ueram Dei
agnitionem omnibus temporibus delere co-
natur.
2. Quia obscurat Mediatorem Christum.
3. Quia tribuit creaturis potentiam cognos-
cendi motus cordium, quod proprium est so-
lius

lius omnipotentis naturæ. 1. Paral: 28. Omnium
corda scrutatur Dominus, & uniuersas mentium
cogitationes intelligit. Quod autem sancti igno-
rent motus cordium clarè testatur Esai: 63. Abra-
ham ignorat nos.

Cur igitur Sanctorum me-
moriam celebratur, si non
sunt inuocandi San-
cti?

1. Ut perpetua historia Ecclesiæ aspiciatur.
2. Ut testimonia de doctrina, de ministerio do-
cendi & de Ecclesia considerentur. Sunt
enim edita miracula, factæ mirandæ uocatio-
nes, illustrata doctrina propter uniuersam
Ecclesiam.
3. Ut Deus celebretur, & ei gratiæ agantur
quod se patefecit, tradidit doctrinam, osten-
dit præsentiam suam in Ecclesia.
4. Ut exempla confirmet fidem nostram, cum
scimus ipsos exauditos & adiutos esse, ut in
Psalm: 33. dicitur: Iste pauper clamauit ad
Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Igi-
tur accedite,
5. Ut pro uocatione singuli eorum exempla
imitemur.
6. Ut ipsi etiam laudentur, quòd donis Dei be-
nè usi

...ratione cum
...pie conuicti rationis...



nè usi sunt. Necessè est enim nosse uniuersam historiam Ecclesiæ, quantum sciri potest, & conferre consensum expressum in scriptis Prophetis, Apostolicis, Symbolis & scriptoribus uetustis ac purioribus, & discernere uerum genus doctrinæ proprium Ecclesiæ ab omnium temporum mendacijs & imposturis.

Obiectio:

Sicut in Forensi consuetudine Iudex ciuili interdum aliquid remittit de poena propter intermissionem alterius,

Itaq; quoq; Deus aliquid remittit de poena propter intercessionem sanctorum.

Ergo inuocandi sunt Sancti.

Resp: ad antecedens

Magna est dissimilitudo inter iudicium Diuinum, & inter iudicia ciuilia. Igitur consequentia propter hanc dissimilitudinem non ualet.

Quid de secunda specie Inuocationis iudicandum est, Nempe de Gratiarum actione?

Quod

Quod non minus hæc species sit necessaria
quam ipsa precatio, Huius uero necessitatis sunt
quinque rationes.

Prima, Ad uitandam ingratitude[m] erga
Deum, quæ ingratitude est atrox crimen. Negat
enim Deum beneficij autorem esse, & fingit ca-
su pericula depelli, non diuina protectione.

Secunda, Ut beneuolentiam Dei retineamus.
Sæpe enim homines amittunt ingentia dona pro-
pter ingratitude[m]. Cum itaq; nobis quotidie
multa bona diuinitus exhibeantur, decet nos pro
hac Dei bonitate esse gratos. Neq; Deus ipse alium
honorem à nobis requirit, quam gratiarum actio-
nem & obedientiam in regenda uita nostra iux-
ta uerbum Dei.

Tertia, Ut hæc nostra confessio sit testi-
monium apud cæteros homines de prouidentia,
Vult enim Deus confirmari alios, ut uere credant
Deo res humanas esse curæ.

Quarta, Ut uera inuocatio & gratiarum
actio

etiam faciant discrimen Ecclesie ab alijs gentibus
Ceteræ enim gentes extra Ecclesiam non uere inuo-
cant & celebrant Deum, sed sola Ecclesia hunc
omnium bonorum autorem cognoscit ac prædicat,
ut in Psalm: 149. Laus eius in Ecclesia Sanctorum.

Forma gratiarum actionis discatur ex Locis.

DE MAGISTRATI- bus Ciuilibus & digni- tate rerum Politic- arum.

Propositio.

Politie præbent hospicium Ecclesie. Ergo in do-
ctrina Coelesti aliquid etiam de dignitate ordinis Po-
litici & de officio Magistratum est dicendum.
Habet uero hæc doctrina triplicem utilitatem.

Prima est, ut refutentur falsæ opiniones Mara-
cionis & Manichæorum, qui ordinem Politicum
impugnarunt.

Secunda, Ut de pace & disciplina honorificè
sentiamus, quæ statim labefactatur sublata potes-
tate & officio Magistratum.

Tertia, Ut discernamus iusticiam Euangelicam
& Ciuili.

Iusticia

Insticia Euangelij est interior lux in corde, qua
fide & agnitione Christi mentes accendit ad ueram
Dei inuocationem, & alios pios motus Legi Dei
congruentes, & inchoat uitam æternam. Foris uero
subijcit Politijs & imperijs unumquenq; suo loco.

At iusticia Ciuilis est externa gubernatrix cora
porum continens certas formas legum, iudiciorum
& poenarum, sic tamen, ut hæ formæ non pugnent
cum Lege nature.

Cur igitur sunt tantæ confusio-
nes, ærumnæ & errata
in gubernatione, si
à Deo ordinata
est?

Id ostendit nobis consideratio huius discrimi-
nis, quando ipsum ordinem Politicum discernimus
à personis gubernantibus et miserijs humanis. Ipse
ordo per se est res bona placens Deo & prorsus
congruens cum uirtutibus, quæ sunt præceptæ in al-
tera parte legis, Est enim Magistratus custos legis.

Personæ uero differunt, Aliæ enim excitantur
& adiuuantur Diuinitus, ac sunt salutaregub-
bernatores, ut Dauid, Iosaphat, Cyrus, Constanti-
nus &c. Aliæ repugnant uoluntati Dei, & magis
turbant ordinem diuinum, quàm tuentur aut ora-
nant, ut Nero, Caligula &c. Obscra

Obserua.

Etsi igitur Politicæ magis florent, cum res & personæ iuuantur à Deo, tamē & in salutari gubernatione multæ calamitates & uicia miscentur propter misérias humanas.

Causæ uero harum miseriarum sunt,

1. Rabies Diaboli uarie turbantis Politias.
2. Magna hominum infirmitas, quæ in gubernatione sæpe errat.
3. Pœnæ fatales quæ sunt exempla iustæ iræ Dei aduersus scelera. Imo etiam crescentibus peccatis, crescunt quoq; pœnæ, ac imperia subinde in deterius conuertuntur. Igitur in statua Danielis prima Monarchia pingitur aurea, Secunda argentea, Tertia ænea, Quarta ferrea. Commonefacit etiam nos de confusionibus omnium ætatum, præsertim uero de effœta senectâ mundi, crudita distributio temporum, quæ sumpta est à præcipuis partibus corporis humani.

Nam primum regnauit τὸ ἡγεμονικόν, id est ratio gubernatrix, in qua ætate artes inuentæ sunt, & homines magis Sapientia, quam ui regerantur.

Deinceps successit τὸ θυμικόν seu Bellatrix ætas, in qua imperia armis constituta sunt.

Secuta

Secuta est postrema ætas seu ἐπιθυμητικὴ
in qua uatura languida neq; sapientiæ studet, neq;
militiæ labores perfert, sed magna ex parte uolu-
ptatibus indulget.

At nihilominus, dum aliqui nerui Politici ma-
nent, ipse ordo tanquam beneficium Dei amplecten-
dus est propter quinque rationes.

Prima ratio sumitur ex testimonijs scripturæ.
Est enim ordo Politicus uoce Dei constitutus, nem-
pe in secunda tabula Decalogi. Estq; huius ordi-
nis neruus & caput præcipuum Lex de puniendis
cædibus quæ extat Genesis 9. Quicumq; fuderit hu-
manum sanguinem, eius sanguis fundetur per ho-
minem, id est, per Magistratum. Idem diuus Pau-
lus docet ad Rom. 13. Omnis anima &c. In quo
dicto Pauli tria obseruanda sunt.

1. Nominat potestatem ordinationem Dei,
Ergo, discernit eam à peccato quod est de-
structio ordinis diuini.
2. Docet imperia esse ordinem, id est, seriem
personarum congruentem ad regulam men-
tis, Diuinæ, iuxta legem nature.
3. Monet non uni tantum regimini, sed omni-
um temporum imperijs obtemperandū esse,
inquit enim, Quæ sunt potestates, id est, quæ
quolibet tempore regnant. Huc referatur
O etiam

etiam concio Baptiste, quæ extat Lucæ 3. in qua
uniuersaliter Baptista approbat functionem Poli-
ticam, approbat stipendia & militiam.

Secunda ratio sumitur ab exemplis. Quia om-
nibus temporibus homines aliqui recte colentes De-
um, fuerunt politici gubernatores, Et Melchisedech
expresse nominatur Rex. Sic Abraham quoq; re-
xit suos & præliatus est. Ita & Ioseph non modo
gubernauit, sed etiam nouis legibus Regnum Aegy-
ptium constituit. Ac leguntur multa eiusmodi exa-
empla in Scriptura de Dauide, de Iosaphat, de Cy-
ro & similibus.

Tertia ratio ducta est à præsentia Dei in im-
perijs. Est enim manifestum non tantum in Ecclesia,
sed etiam apud Ethnicos diuinitus adiutos esse Ma-
gistratus in conseruanda pace & disciplina, Econ-
tra manifestis sceleribus pollutos, & turbatores hu-
ius ordinis grauiter punitos esse ut exempla Astyas-
gis, Neronis & similibus monstrant. Nec refert
quod interdum Deus differt pœnas, & (ueluti in
tempestatibus) aliquid extra regulam facit, ac
recte dixit Isocrates, Sceleratos plerumq; dare
pœnas etsi non semper puniantur.

Quarta

Quarta ratio sumitur ab effectu orationis
seu ab officio deprecandi pro Magistratibus, quod
officium precandi ipse Deus præcepit Ieremiæ 19.
Orate pro regno Babylonico, quia in pace illius &
uobis pax erit. Sic pro rege Abimelech deprecatur
Abraham, & Iacob benedixit regi Aegyptio, qui a
Ioseph acceperat doctrinam de uera Dei inuoca-
tione. Extat etiam 1. Thimo: 2. Præceptum plenum
eruditionis: Hortor ut petitiones & Gratiarum
actiones fiant pro omnibus hominibus, pro Regibus
& omnibus qui præsunt &c.

Præcipit autem Deus preces pro Magi-
stratibus idcirco, ut gubernatio firma & inconcussa
maneant. Ex quo manifestum est ordinem Magi-
stratum esse rem bonam & placentem Deo.

Quinta ratio sumitur à necessitate obediendi.
Deus præcipit ut obediamus Magistratibus, Ergo
Magistratus est res placens Deo. Hoc loco non
tantum de mandato obediendi cogitandum est, Ve-
rum etiam de præcepto, ut Magistratum honore af-
ficiamus, Quod sane plus est quam externa solum-
modo officia præstare.

Porro quousq; obtemperandum sit Magistra-
tibus, docet Petrus in Actis. Oportet Deo magis obe-

dire quam hominibus, Ergo necessitas cogit nos, ut
Magistratibus tantisper obediamus, donec nihil con-
tra mandata Dei præcipiunt.

Obiectio I.

Vox diuina inquit, Mihi uindictam & ego
retribuam, Item, nolite iudicare ne iudicemini.
Item, Si quis impegerit tibi alapam in dexteram ma-
xillam, porrige ei & alteram. Ergo uindicta est
in uniuersum prohibita. Resp:

Nego consequentiam, quia est fallacia equi-
uocationis. Nam Vindicta duplex est, publica et
priuata. Publicam iuxta leges exercet Magistra-
tus, qui sceleratos propter mandatum Dei punit.
Subiecit enim Deus genus humanum certis iudici-
bus, quos uult esse scelerum uindices. Hanc uin-
dictam superiora testimonia non tollunt, sed pro-
hibent tantum priuatam cupiditatem ulciscendi,
quæ fit contra leges.

Obiectio II.

In imperijs est magna confusio, & sepe à
sceleratis administrantur.

Ergo imperia sunt res male & damnata à
Deo. Odit enim Deus confusionem sui or-
dinis, & sceleratos nequaquam probat.

Respondeo.

Non

Non est uera & firma ra-
ciocinatio à dicto secun-
dum quid ad dictum simpliciter, siue est fallacia ac-
cidentis. Scimus enim ex superioribus testimoni-
is ordinem ipsum imperiorum & totius status Po-
litici placere Deo. Quod uero personæ guber-
natrices, ab ordine interdum dissentiunt, Hæc or-
dinis turbatio aliunde accedit, malitia Diaboli, &
communi infirmitate hominum. Sic & de Eccle-
siastica gubernatione, de Coniugio, de procreatio-
ne sentiendum est, quibus omnibus etsi multæ con-
fusiones admiscantur, tamen piæ mentes statuere
oportet, substantiam seu naturam harum rerum per
se esse bonam, & placere Deo, licet aliunde multæ
uitia accedant.

Tertia Obiectio, quæ
est Struthij, Mustes-
iæ, & Mone-
tarij.

Leges Romanæ & aliarum gentium non con-
ueniunt cum forma legum Mosaicarum, quas
Deus ipse sanxit.

Ergo neq; diuinitus ordinatæ sunt, neq; pla-
cent Deo.

Respondetur per instantiam. Etsi forma
gubernationis Mosaicæ optima est, tamen non de-

Sunt testimonia & exempla, quæ nos iubent præsen-
tibus Magistratibus & legibus obtemperare, si mo-
do non pugnant cum lege naturæ. Ad Rom: 13.
Omnis anima potestati subdita sit quæ præest, hoc
est, præsentī potestati obediat. Sic Dan: obtempe-
rauit legibus Persarum, et Ioseph legibus Aegyptijs.

Quarta obiectio.

Odisse ciuem esse peccatum,
Litigans in foro odit ciuem,
Ergo litigare est prohibitum, Et per conse-
quens non licet exercere iudicia ac alia offi-
cia Magistratum &c. Resp:

Est etiam fallacia accidentis. Plana uero &
perspicua solutio huius obiectionis extat in Diale-
cticis. Statuamus igitur econtra, Magistratus debe-
re necessario iuxta uocationem exercere iudicia, mi-
litare, accusare nocentem, in foro dicere causam, le-
gitimo supplicio adficere iuste condemnatos.

De hac necessitate perspicua testimonia cons-
cionantur.

Esaiæ. 1. Querite iudicium, iudicate pupil-
lo, defendite uiduam.

Psal. 82. Iudicate egeno & pupillo &c.

Item, Ad Rom. 13. capite dicitur, Necessè
est obedire, non solum propter iram,
sed

sed etiam propter conscientiam. Probatur idem a
fine hominis: Homo conditus est ad celebrationem
nominis Dei, & ad ciuilem societatem: Sed ut cele=
bretur nomen Dei, necesse est Magistratus excipere
& fouere pios doctores. Ac manifestum est potesta=
tem politicam esse uinculum humane societatis,
hinc ergo sequitur, Deum approbare Magistratum.
Est & hoc loco utile considerare causas obedientie
erga Magistratus.

ἄριστος, seu Efficiens principalis est, ipse Deus,
mandans obedientiam in munere Politico.

συνἄριστος, Est fides petens gubernationem in
laboribus & periculis.

Causa finalis ut obediamus Deo, Item ut ser=
uiatur proximo & defendatur propagatio doctria=
ne coelestis.

Effectus sunt testimonia praesentiae Dei, quae
augent timorem & Fidem.

Verum cum haecenus recitatae sint firmæ ra=
tiones & testimonia de sanctitate & dignitate
politici ordinis, Iam uicissim aliquid adden=
dum.

dum est de officio Magistratum erga subditos. Præsumunt enim Magistratus non suæ commoditatis gratia, sed ut communi utilitati consulant. Tradidit uero Aristoteles erudite definitionem & officium Magistratus paucissimis uerbis, ubi inquit: Magistratus est Custos legis. Legis autem uoce complectimur utramque tabulam Decalogi.

Primum igitur officium Magistratus est, ut ipse obtemperet utrique tabulæ Decalogi.

Secundum ut earundem auctoritatem fortiter defendat. Ex quo cernere est, Magistratum non oportere tantum custodem esse pacis ciuilibis, sed etiam seruire gloriæ Dei, quod ad externam disciplinam attinet, iuxta uocem Diuinam, Fugite idola.

Item, Leuit: 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur.

Dext: 12. Euertite aras idolorum.

Item, Psal: 2. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino.

Nec desunt huius rei exempla, Nam ad hunc modum Reges pii in Iuda & aliarum gentium Principes, postquam didicere ueram de Deo doctrinam, prohibuerunt contumelias aduersus uerum Deum, ut, Iosaphat, Ezechias, Iosias. Item, Nabuchodonosor, Darius Medus, Cyrus, Constantinus, Theodosius &c.

Hoc

Hoc loco non ualet cauillatio quorundam,
qui arcent Pontificia tyrannide Magistratum ab
inspectione Ecclesiarum. Cum enim Magistratus sit
membrum Ecclesiae, & custos totius legis, necesse
est, ut & ipse recte sentiat & iudicet de doctrina.
Ac mandatum Dei uniuersale est, de audiendo filio,
& fugienda idolatria.

Tertium officium Magistratus est defensio
pacis, & cura tuendi praetorij muneris ac ueritatis,
de quibus omnibus in libris Iurisconsultorum copio-
se dicitur. Sed hic utilis admonitio recitatur. Non
licere Magistratibus facere contra ius diuinum &
contra ius naturae. Igitur & distinctio dominiorum
defendi debet, nec ciuibus propriae facultates eripi-
endae sunt, quemadmodum Achab coegit Naboth
ad uenditionem Vineae, cuius iniuriae postea memo-
rabili exemplo Rex Achab poenas dedit.

Vicissim subditorum est, iusta collatione tri-
butorum opitulari Ecclesijs & patriae. Ad eundem
modum aequalitas in contractibus seruanda est.
Sunt enim contractus pars politici ordinis, in qui-
bus exercendis admonemur de aequalitate, quae in
Deo summa est. Regula autem aequalitatis in
Deo haec est, quod uerè irascitur peccato, in om-
nibus, ac rursus certò recipit omnes confugien-

tes ad Mediatorem Christum Iesum.

Postremum officium Magistratum est suscipere curam iuandarū scholarum, in quibus literæ & artes Ecclesiæ necessarie traduntur, & fouere doctores & discipulos doctrinæ de Deo & ceterarum artium, quæ utilitati huius uitæ inserviunt, Iuxta dictum Esaia 49. Et erunt Reges nutritores tui & Reginae nutrices tuæ. Pro hoc officio magna præmia proposita sunt Matth: 10. Qui aquæ potum dabit uni ex minimis istis iuandæ doctrinæ causa, non perdet mercedem suam.

DE CAEREMONIIS humanis in Ecclesia.

Explicata doctrina de præcipuis locis scripturæ & de dignitate ordinis Politici, iam etiam aliquid de caeremonijs dicendum est. Etsi enim caeremoniæ ad fundamentum doctrinæ & salutis non spectant, tamen humana autoritate non sine graui deliberatione institutæ sunt, uidelicet, propter conseruationem boni ordinis, quem diuus Paulus requirit. Corinth. I 4. Omnia decenter & ordine fiant. Sed quia uaria sunt discrimina caeremoniarum, cum humana κακοζηλία omnibus
etatibus

ætatibus præter has utiles ceremonias, quæ inserui-
unt bono ordini, alias superstitiosas & non necessa-
rias affinxerit, necesse est eas à superioribus discerni
& grauitè taxari propter duas causas.

Primum enim extinguunt lucem Euangelij de
Mediatore Christo, & de Fide. Plus enim homines
fascinati admiratione horum rituum, confidunt fi-
cticijs cultibus, quam Christi merito.

Deinceps gignunt magnas discordias & tur-
bant Ecclesias. Ac licet politici uiri tragicè que-
runtur hac reprehensione cæremoniæ, labefa-
ctari legum auctoritatem, & laxari disciplinam, ta-
men puritas doctrinæ, & conscientie integritas his
querelis anteferenda est. Non enim taxamus uti-
les ceremonias & leges politicas, quæ ad defensio-
nem communis pacis & tranquillitatis late sunt,
sed reprehendimus tantum superstitiosos & impios
ritus, Ut uero tota doctrina de cæremonijs dilucidior
fiat, tres regulæ obseruentur.

Prima regula.

Sicut Heua peccauit, postquam sua uoluntate
se auertit à mandato Dei, obtemperans Diabolo hor-
tanti, Ita grauitè peccant omnes qui multorum ho-
minum imbecillitatem eo impellunt, ut magis admi-
rentur

rentur leges aut edicta, quæ iubent contra uerbum
Dei facere, quàm ipsum uerbum & mandata Dei,
siue leges illæ ab Episcopis, siue à Regibus siue ab
alijs Magistratibus propositæ sint. Vera est enim
uox Apostolorum : Oportet Deo magis obedire
quàm hominibus, sicut tres Israelitæ fecerunt, no-
lentes adorare auream statuam. Sic & Apostoli
Acto: 5. contra mandatum summi Sacerdotis
docent Euangelium, & palam testantur antese-
rendum esse Dei mandatum. Hæc regula repre-
hendit potissimum idolatricas ceremonias de inuo-
catione mortuorum, de Missa priuata, de abusu
Sacramenti in spectaculis, de prohibitione con-
iugij, ac impio coelibatu &c.

Secunda Regula.

Etsi in Ecclesia quædam opera sua natura
sunt Adiaphora, quæ nec præcepta sunt lege Dei,
nec prohibita, ut non uesci carnibus, uti ueste com-
muni, aut ueste Monachorum. Tamen in casu ne-
cessitatis legibus de Adiaphoris docendo aduersan-
dum est, ut uitentur absurdi aliquot errores, quo-
rum hi præcipui sunt.

Primus error obscurat beneficium Christi,
transferendo causam remissionis culpæ & pœna-
rum in obseruationem horum rituum & puerilium
exercitiorum

exercitiorum, cum (ut Iohannes inquit) Solius
Christi sanguis nos ab omnibus peccatis, culpa &
pœnis emundet. Igitur propter hanc causam Pau-
lus tam acriter dimicat de abrogatione circumcisio-
nis & aliarum caeremoniarum legis Mosaicae.

Secundus error minus est conspicuus, atta-
men aequè perniciosus. Non enim apertè oppu-
gnat beneficium Christi, sed defendit & pingit
traditiones humanas Nazareorum exemplo, quod
extat Nume: 6. Reuera autem tribuit hic error
his operibus hunc honorem, quod sint cultus Dei,
nec de his Adiaphoris dimicat, sed alios tetros ab-
usus stabilire conatur.

Hoc loco nõ ualet cauillatio ducta ab exemplo:
In ueteri Testamento Deus uarias caeremo-
nias præscripsit Israelitis,
Ergo licet & nobis excogitare novos ritus.

Est enim ingens discrimen inter opera à Deo in-
stituta & ordinata (quæ tamen ad certum tantum
modo tempus durauerunt) & inter hæc quæ homi-
nes excogitant, nec mandata nec ordinata à Deo.

Tertius error extenuat legem Dei, quia præ-
fert legi Diuinæ humanas traditiones, quas Mo-
nachi affirmant meliores esse & magis placere
Deo

Deo, quam ea opera, quæ in Decalogo præcepta sunt.

Quartus error gignit atroces discordias.
Quapropter non est ferenda necessitas seruandarum ceremoniarum in Ecclesijs, iuxta dictum Pauli Coloss. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, id est, nemo obliget uos ad hos ritus. Eodem capite appellat omnes ceremonias humanas, Elementa mundi, quæ non ad remissionem delictorum, sed tantum ad ordinem bonum absque necessitate tamen & stulta carnificina conscientie, referenda sunt. Item ad Gal. 5. In libertate qua Christus uos liberauit stete, ne rursus iugo seruitutis implicemini.

Sunt etiam multa exempla ueterum defendentium libertatem Christianam contra traditiones humanas.

Idco enim Paulus noluit Titum circumcidi, ut libertatis exemplum ostenderet, & Petrum arguit confirmantem pertinaciam eorum, qui Mosaicos ritus seruari uolebant.

Recitatur & historia de Spiridone Cyprio Episcopo digna memoria, Tripartitæ lib. 1. cap. 10. & apud Sozomenem lib. 1. cap. 11. Verba Sozomenis hæc sunt. Quomodo uero animatus fuerit ad accipiendum peregrinos, hinc intelligi potest, Venit ad eum ex itinere quidam in-

stante

stante iam Quadragesima, qua ieiunium cum dome-
sticis suis continuare, certoq; die cibum gustare ac
intermedijs diebus ieiunus persistere solebat. Cum
autem peregrinum admodum delassatum cerneret,
agē, inquit ad filiam, laua uiro pedes, apponeq;
quod edat. Respondente uirgine, nec panem super-
esse nec alphita, quod talia propter ieiunium parari
non solerent, præmissa oratione petitaq; condonati-
one, iussit, filiae carnes porcinas, quas domi sale con-
ditas habebat, coquere. Coctis illis peregrinum unā
secum ad mensam sedere fecit, apposisq; carnibus
uesci coepit, uirumq; hortatus est, ut suo exemplo
ederet & ipse. Recusanti ac se Christianum esse di-
centi, hoc minus, inquit, recusare debes. Mundis
etenim sermo diuinus omnia munda esse pronuncia-
uit.

Tertia Regula.

Posteaquam perspicuè dictum est: Cærimonias
non spectare ad fundamentum salutis, necesse est eru-
dire imperiores eas cærimonias seruandas esse, quæ
iuuandi ordinis causa bono consilio in Ecclesia sunt
institutæ, sed ita ne addatur opinio iusticiæ, aut ne-
cessitatis. Sicut enim in scholis distribuuntur horæ et
materiæ lectionum, ut discentes facilius in studijs
honestarum artium progrediantur, Ita & in publi-
cis congressibus oportet aliquem esse ordinem, iuxta
quem & celebratur Deus pijs hymnis & puritas
doctrinæ dextrè & fideliter proponitur.

Hunc

Hunc ordinem absq; graui causa turbare Cyclo-
picum est. Ideo & seriem dierum festorum pie &
sapienter in primitiua Ecclesia distribuerunt.

Non enim omnes historie uno die recitari &
explicari possunt, sed aliam partem alio tempore
proponi commodius est, Et cum distributio tem-
porum congruit cum euentibus, non solum gratior
est, sed etiam memoriam adiuuat.

Est & hoc iterum notandum, Etsi hi ritus or-
dinis causa excogitati sunt, iuxta dictum Pauli su-
pra recitatum, tamen extra casum scandali sine
peccato propter certas circumstantias mutari aut
negligi possunt.

DE SCANDALO.

ἔτυμον.

Vocabulum Græcum σκάνδαλον, factum
est à σκάζω, id est, claudico. Significat enim offendi-
culum, id est, quiddam ad quod impingens labitur
seu trepidat. Est & Metaphora. Sicut enim impin-
gens in lapidem seu lignum claudicat, Ita mens
impingens in tetros errores, seu turpia exempla
grauiter offenditur.

Quid est Scandalum?

Scandalum

Scandalum est dictum aut exemplum, quo
alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur,
seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flam-
mas maiores odij aduersus Euangelium concipit.
Est igitur scandalum in prædicamento Relationis.
Fundamentum, est ipsum dictum aut exemplum.
Terminus est offensio.

Duplex est scandalum.

Acceptum &
Datum.

Scandalum Acceptum est, offensio Pharisai-
ca, cum impij irascuntur ueræ doctrinæ Euangelij
aut honestis ac necessarijs factis, ut cum nolunt pro-
poni ueram doctrinam & taxari errores &c.

Causæ huius scandali sunt.

- 1 Auaricia & quæstus Pontificum ac Sacrificulo-
rum.
- 2 Autoritas eorundem quam labefactari nolunt.
- 2 Falsa persuasio pietatis.

Regula de scandolo
accepto.

P

Necessse

Necessè est confiteri ueram doctrinam & fugere idola & facere opera mandata à Deo, etiamsi fremunt ac repugnant impij ac concipiunt maiores flammæ odij aduersus Euangelium, & quanquam dissidia tristia oriuntur ex impiorum perimacia.

Confirmatur hæc Regula multis testimonijs. Esaiæ 51. Ne timeate probra hominum. Matth: 4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. I. Corinth: 10. Fugite cultum idolorum. Ad Gala: 1. Si quis aliud Euangelium docebit Anathema sit.

Alterum scandalum quod datum appellant, est aut falsa doctrina, aut malum exemplum, quod alijs nocet uel quia alios ad imitationem inuitat, uel quia deterret aliquos ab Euangelio, uel quia præbet occasionem maledicendi Christo aut Ecclesiæ Dei, uel quia serit alia plura peccata.

Causa huius scandali est Diabolus, studens deformare humanum genus & illaqueare falsa doctrina & turpibus exemplis conscientias.

Effectus sunt multæ calamitates & tristissima confusio in genere humano.

Testatur hoc exemplum Dauidis ex cuius adulterio magna moles scelerum & calamitatum orta est.

Ufus huius exempli est, ut cognitio tantorum malorum, metum iræ Dei in nobis excitet, & ut sua quisq; scandala memè intueatur & caueat.

Regula

Regula prima.

Hæc scandala, id est, falsa doctrina & praua exempla, uerè peccata sunt, dānata hac uoce Christi: Væ homini per quem uenit scandalum. Sunt itaq; hæc scandala magna cura & uigilantia uitanda.

Regula secunda.

Doctrinæ scandala plerunq; plus nocent, quam morum delicta. Fugienda est igitur idolatria in inuocatione mortuorum, in prophanatione cœnæ Domini, & in impia lege de cœlibatu. Cauendæ sunt & Anabaptistarum tetrae opiniones, & aliorum furor, qui Ecclesias falsis dogmatibus turbant.

Regula tertia.

De Adiaphoris.

Etsi adiaphora sua natura neq; præcepta, neq; prohibita sunt uoce Diuina, tamen non est tutum ea uiolare, quando conscientie nondū recte uerbo Dei edoctræ, de necessitate eorum adhuc dubitatione anguntur. In hoc igitur casu necesse est animos dubitantes non esse cogendos ad mutandam cōsuetudinem, priusquam causam libertatis in Adiaphoris didicerint.

Huius rei sunt duæ rationes.

1. Quia dubitatio impedit inuocationem.
2. Quia offenduntur alij præcipiti temeritate eius mutationis, cuius causa nondum intelligitur. Adhibenda est igitur à pijs ministris prudentia ne petulantè abrogasse Adiaphora uideantur,

Econtra, si qui recte instituti sunt de libertate, non est laudanda eorum pertinacia in seruandis omnibus traditionibus. Interdum enim exempli causa inutiles ritus abijciendi sunt.

Hæc pertinacia adfert triplex scandalum.

1. Confirmat hostes ueræ doctrine.
3. Adducit imbecilliores in dubitationem, dum metuunt usum libertatis non probari illis, qui doctrina uel autoritate antecellunt.
3. Contristatur quoq; Spiritus sanctus in imbecillioribus, cum dolent se accusari leuitatis.

Huc pertinet historia de nobilibus coniugibus Attalo, & Blandina, quæ extat in quinto libro Eusebij,

Grauius etiam ij peccant, qui dum imitantur Ciuilem consuetudinem, neutri parti addicti, sumunt sibi licentiam iudicandi de utraq; parte, significando se alium statum Ecclesie desiderare & expectare. Horum censura pugnat cum dicto Christi: Qui non colligit mecum, dispergit. Nam ut sepe diximus, Vniuersale mandatum est Dei patris de audiendo filio. Et uult Deus singulos pios amplecti & profiteri uera, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Multo magis peccant ij, qui se ad quamcunq; Religionem pro
perfo

personarum, loci & temporis occasione inflectunt,
quemadmodum memorabilis historia extat lib. 3.
Socratis cap. 13. de Ecebolo quodam, qui se accom-
modans ad Imperatorum uoluntates iterum atq; ite-
rum Christi nomen professus est, & paulò post idem
abnegauit. Sub Iuliano eo ipso tempore, quo scho-
las Christianis interdixit et ab omni dignitatum of-
ficio eos semouit, qui Christi nomen honoribus mo-
mentaneis præferebant, abijciebat Ecebolus omnem
Religionis curam. Extincto autem Iuliano, cum
successores Iouinianus, Valentinianus & Gratia-
nus rursus iuberent claudi Idolorum templa, ac Ecc-
lesijs pacem restituerent, hæc ab Ecebolo acta
sunt. Ante portam Oratorij in urbe Constantino-
politana se ipse pronum in terram proiecit simulans
pœnitentiam hisce uerbis: Calcate me insipis-
dum salem. Cum igitur beneficio Dei in nostris
Ecclesijs idolorum cultus remoti sint, et tota doctri-
na consentiat cum prophetis & Apostolicis scriptis
impiè faciunt quicunq; arte premunt recte docen-
tes, & cum hostibus Euangelij colludunt, cum de-
berent potius conferre labores ad communem Veri-
tatis conseruationem.

DE LIBERTATE

Christiana.

Quotuplex est Libertas?

P 3

Duplex

Duplex.

Ciuilis & Spiritualis, seu
Christiana.

De Ciuili libertate in doctrina Ecclesiae nihil dicitur. Necesse est enim unumquemq; suo loco subijci Magistratibus, ut supra dictum est, Videmus etiam Ecclesiam non frui ciuili libertate, cum omnibus temporibus seruitute oppressa, & multis periculis subiecta fuerit, & adhuc à Diabolo, morte & alijs calamitatibus excrucietur. Seditiose igitur Struthius & alij fanatici Doctores, Libertatem de non pendendis tributis, miseræ & imperitæ multitudini inculcarunt.

Quid uocas Christianam
Libertatem ?

Qua à peccato, à morte æterna & potestate
Diaboli liberi sumus.

Hæc Libertas adfert pijs magnam consolationem etiam in medijs ærumnis, & media morte, nec sinit Iosephum, Dauidem, Ionatham, Ezechiam, Ieremiam, Baptistam, Paulum &c. succumbere, sicut Hercules, Priamus, Agamemnon, Palamedes, Cato, Cicero, Brutus, & alij innumerabiles ærumnis succubuerunt.

Distribuitur autem hæc libertas Spiritualis in
quatuor Gradus.

Primus Gradus est liberatio à summis malis, à peccato & ira Dei, Nempe quod nobis gratis propter filium Dei, donantur remissio peccatorum, res

cons

conciliatio, imputatio iustitiæ & hereditas uitæ
eternæ. De hoc gradu inquit Christus Iohan 8. Si
Filius uos liberauerit, uere liberi eritis

Secundus Gradus est donatio Spiritus sancti
qui nouam lucem in mente & nouos motus in uo-
luntate & corde accendit, & in nobis inchoat nou-
am obedientiam & uitam eternam. Est autem uti-
le conferre hos duos Gradus, sunt enim coniuncti. In
superiori Gradu continetur integra Libertas à pecca-
to et ira Dei. Vere enim nos filius Dei ab his sum-
mis malis liberauit. Sed quia hæc integra libertas in
hac uita inchoatur tantum, cum propter reliquias
peccati adhuc simus subiecti erumnis & morti cor-
porali, ac à Diabolo quotidie oppugnemur, et simul
turbemur accusatione Legis, promittitur in secun-
do gradu auxilium Spiritus sancti, qui primum eri-
git & consolatur mentes subiectas calamitatibus &
perterrefactas agnitione iræ Dei aduersus peccata,
Deinceps accendit quoq; in nobis fidem, & nouos
motus congruentes cum lege Dei.

Vsus huius doctrine præcipuus est, ut agamus gra-
tias Deo pro liberatione à summis malis, et ut consi-
deremus nostram infirmitatem et pericula, ac peta-
mus auxilium et gubernationem Spiritus sancti. Hinc
igitur facile est cernere discrimen inter Politicam li-
bertatem et beneficia, quæ nobis in hac doctrina mon-
strantur. Politica libertas spectat ad bona corporis, Spi-
ritualis uero libertas ad bona anime, quæ eterna sunt.

P 4

Tertius

Tertius Gradus est, Libertas in omittendis cæ-
remonijs & legibus Forensibus ueteris Testamenti,
quibus non obligamur, sumus quidem subiecti Ma-
gistratibus et legibus præsentibus, quibus singulis lo-
cis parere debemus, si modo non pugnant cum lege
naturæ aut mandato Dei. Sed ad politiam Moysi al-
ligati non sumus. Est enim illa Politia deleta ante an-
nos 1489. Audiuius autem supra, leges Mosai-
cas esse triplices, Cæremoniales, Forenses, & Mora-
les, ex quibus duæ priores species abolitæ sunt. Lex
uero Moralis immutabilis est, & obligat omnes ho-
mines propter duas rationes, quarum una est, quod
sit æterna & immota Regula in mente diuina, Al-
tera quod in creaturas rationales transfusa est, qui-
bus manentibus aboleri non potest.

Hoc loco recensetur Regula: Omnis Lex uel
obligat ad obedientiam, uel ad pœnam, Quare cum
perfecte obedire legi Dei non possimus, Christus in
se deriuauit pœnam factus pro nobis Maledictum,
seu λυτσορ. Nam Deus non mitigauit legem sine
compensatione. Ideo oportuit filium Dei fieri uicti-
mam, & placare iram Dei aduersus inobedientiam
generis humani, Liberati itaq; sumus à lege non
quod ad obedientiam, Manet enim ordo Dei æternus
& immutabilis, ut creatura Deo obtemperet, Sed
quod ad maledictionem attinet, pœna in Christum
translata est. Condu-

Conducit hæc Regula ad intelligendum dictum
Pauli ad Rom: 6. Non estis sub lege, sed sub Gra-
tia, id est, Lex non accusat credentes, cum pœna
translata sit in filium Dei, Item ad intelligendum
alterum dictum, quod extat 1. ad Timo: 1. Lex est
iniustis posita, id est, Lex cohercet externa discipli-
na contumaces, Loquitur enim de pœdagogico usu
legis, quo iusti seu renati non sunt coercendi, cum
regantur à Spiritu sancto &c.

Quartus Gradus Libertatis est, in omittendis
Adiaphoris extra casum scandali. Et quod non sint
seruanda Adiaphora, quando opinio necessitatis ac-
cedit, ut supra de Cæremonijs dictum est. Hoc loco
rursum obseruetur non ualere σοφιστικὰς à sa-
pientibus politicis excogitatas, qui uociferantur,
propter publicam tranquillitatem non esse dimican-
dum de esu carniuum aut ouorum, & de alijs minutis
rebus. Nam aduersarij in stabilicendis eiusmodi Cære-
monijs, quæ in specie exiguæ uidentur, non dimicant
de paruis rebus, sed de multis magnis rebus, de uera
agnitione & inuocatione, Item de uoluntate Dei,
quam traditionibus humanis obscurant.

Excogitant enim subinde superstitiosos ritus
pugnantes cum uerbo Dei, atq; affingunt exercitia
horum rituum non tantum conducere ad tranquilli-

tatem firmandam, sed etiam ad consequendam remissionem culpæ & poenarum. Estq; eadem ratio superstitiosorum rituum in Romana Ecclesia, quæ olim fuit apud Ethnicos in colendis ficticijs numinibus Baccho, Marte, Cerere, Vult autem Deus non aliter inuocari & coli, quam ut se in uerbo patefecit, à quo cum discessum est, sequuntur infinita deliria & idola. Porro de inuocatione mortuorum, de abusu Sacramenti in Missa priuata, de impia lege cœlibatus supra diximus.

Obiectio prima.

Potestati necessario obediendum est.

Potestas Ecclesiastica instituit ritus, tum de rebus Adiaphoris, tum de alijs.

Necesse est igitur seruare ritus præsertim in rebus Adiaphoris.

Respondemus ad maiorem, Potestati necessario obediendum est eo usq; donec nihil præcipit contra mandata Dei. Tum enim Deo magis obediendum est, quam hominibus. Sed constat traditiones Romane Ecclesiæ pugnare cum uerbo Dei. Idco sequitur eas fugiendas esse. Deinceps Respondemus ad Minorem quoq; Etsi potestas Ecclesiastica in Adiaphoris, ritus quosdam instituit, qui neq; præcepti, neq; prohibiti sunt mandato Dei, tamen fiunt impij, cum additur opinio cultus aut necessitatis.

Soluitur

Soluitur & alio modo Argumentum, Maior
uera est de obedientia, qualem docet Euangelium,
uidelicet, ut seruemus Adiaphora tantum ordinis
causa, sine opinione iusticiæ, aut necessitatis.

Obiectio Secunda.

Christus inquit Matth. 23. Super Cathedram
Moisi sedent Scribæ et Pharisei, Omnia quæ dicunt
uobis, facite, Igitur est necesse obtemperare potesta-
ti Ecclesiasticæ in omnibus, quæ præcipiunt.

Respondeo, Dictum Christi non loquitur de
uniuersis traditionibus & figmentis humanis, quæ
in Ecclesia Pharisei & Pontifices commenti sunt,
sed iubet obedire omnibus ijs, quæ sunt tradita uer-
bo Dei, Testantur id aliæ sententiæ. Nam Matth:
15. expresse reijciuntur traditiones, ubi inquit
Christus, Cauete à fermento Phariseorum.

Interea uero magnificienda est ipsa dignitas
Ministerij, in quo retinetur puritas doctrine & or-
do congruens mandato & uerbo Dei. Huius rei
sunt multe causæ.

Primum enim Deus singulari bonitate Ministe-
rium inistituit, ut suam uoluntatem patefaceret ho-
minibus, & colligeret sibi Ecclesiam æternam uoce
Euangelij, & non aliter.

Deinde

Deinde hæc ipsa dignitas & conseruatio Ministerij, est testimonium confessionis, quam Deus ab unoquoq; requirit, Matth. 10. Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo cœlesti &c.

Tertio, In hoc ipso cœtu homines subinde commonescunt de præsentia Dei & redemptione generis humani, ac cogitatione tantarum rerum, singuli exuscitant fidem amplectentem promissionem.

Postremo, Ministerij autoritas hinc maxime conspicitur, quod per uerbum Spiritus sanctus efficax est, & accendit in nobis nouam lucem atq; adest Consolator & deducit tandem nos ex hac misera uita in æternam Ecclesiam & scholam, ubi cum beatis Angelis & omnium electis uidebimus Deum à facie ad faciem, & eius iustitiam, bonitatem & misericordiam in omnem æternitatem celebrabimus, Amen.

DE



DE ORDINATIONE

MAGISTRATVSETSVB

ditorum Ecloga Stigelij.

Vnde sacerdotū genus, et genus unde potentū,
Quòd deceatq; frequēs istud, et illud, opus.
Tum genus unde rudis populi, & seruilia corda
Mobile qua vulgus debeat arte regi.
Sic ego iam pridem non docto carmine ludo,
Dum peragro populos terra Britanna tuos.
Qui legis aut sordes Bauij, aut mendacia Mæui,
Iactura exigua forsā & ista legas.
Iam noua principijs facies concreuerat orbis,
Inq; suis florens gratia rebus erat.
Ipsa sua mundus sub pubertate uigebat,
Omneq; leticia luxuriabat opus.
Progeniesq; suas animantia producebant,
Fœmina nec sterelis, mas erat ullus iners.
Nec cessarat Adam proli superaddere prolem,
Inq; suo miles munere fortis erat.
Iam noua quærebat subeunti nomina proli,
Iam natos numero rettulit Eua suos.
Iam quantum sobolem, tantum increbescere curas,
Ingemuit tristi plena dolore parens.
Vix tria lustra ierant puerilia tempora mundi,
Orta bis octauis tempora ueris erant.
Infandum memori uersans sub pectore lapsum,
Sæpe uiro inuito tristis Adamis erat.

Sepe

Sæpe auibus circum, brutisq; dolentibus unâ,
 Adita est misera talia uoce queri.
 Nata mori, longæ quid adhuc traho tædia uitæ?
 Lenta trahunt aliquam cur mea fata moram?
 Tam temere æternam quæ amisi stulta salutem,
 Supplicij æterni digna dolore fui.
 Cur ueniam merui? cur post errata nephanda,
 Me non extinctam prima recepit humus?
 Sic ne ego luce fruor, pariam ut mea pignora mortis?
 Heu potius nulli flebilis opto mori.
 Cum subit illius mihi deceptoris imago,
 Præbuit infesto qui mihi poma dolo.
 Incidit horrendi quoties mihi mentio lapsus,
 Perdita tunc dubito, sospes an esse uelim.
 Aspicio quoties numerosi germina partus,
 Omnia sunt oculis plena dolore meis.
 Heu mihi qualis erit facies post secula rerum?
 Acceptum seruant uix tria lustra decus.
 Tota perhorresco quoties mea fata reuoluens,
 Cogito de sobolis posteritate mee.
 Quis dabit huic certas animorum uincula leges?
 Quis morum censor, quis reprehensor erit?
 Iam discunt simulata loqui, iam necere fraudes,
 Nec modice monitus pignora nostra ferunt.
 Et tanquam nequeant satis hæc adferre doloris,
 Accedit curis maxima cura Cain.
 Euentu careant, fallantq; ea somnia sensus,
 Quæ soleo mediis sæpe uidere die.

Fallar

Fallar, & hoc omen celeres labatur in auras,
Impinget generi dedecus ille suo,
Omnia quæ tamen hæc moneat superanda ferendo,
Ponitur in solo spes mea fixa Deo.
Tu Deus hanc nobis uitam, mentemq; dedisti,
Munera quæ mentis sunt simulachra tuæ.
Tu mihi promisso releuabis semine culpam,
Et pietate tua crimina nostra premes.
Tu dabis imperij formam, sanctumq; senatum,
Tu facies populis iura aducesq; tuis.
Hæc etenim memini te nomina dicere nobis,
Cum tua dixisset, crescite, lingua potens.
Crescimus, ipse tamen uires crescentibus addas,
Ne cessante tua deficiamus ope.
Talibus orabat, uotis operata pudicis,
Confirmans sola pectora mœsta fide.
Audiit ista Deus, nec se immemor esse parentem,
Ah ubi non meminit se Deus esse patrem?
Subiectas statuit cœlis inuiscere terras,
Cordaq; sollicito mœsta leuare metu.
Festus erat celebris uenura luce futurus,
Qui solet à sexto septimus esse die.
Crastina fixurus montanas prandia Damas,
Alta pharetratus tesqua petebat Adam.
Eua domi interea sua pignora petiit & ornat,
Ad sacra placando rite ferenda Deo.
Iam labente die, nec enim dum lauerat omnes,
Vicini ut peteret gurgitis,ibat aquas.

Cum

Cum Deus ingrediens medijs per devia campi.
Tendit ad herbosæ tegmina parua casæ.
Hospitis aduentu turbata recessit Adamis,
Causa; læticiæ mista timore fuit.
Nec mora uerso intro quos lauerat ordine sistit,
Qua; Deum excipiant relligione docet.
At reliquum uulgus quod adhuc squalibat, & ora
Horrebat multo puluerulenta situ.
In scæno & sparse stipulis abscondit auenæ,
Et iubet ad uultum delituisse Dei.
Iam Deus ingreditur fumosi limina tecti,
Angelus huic comites unus & alter erant.
Excipit amplexu uultu testata pudorem,
Et præsentè Deo pulchrior Eua fuit.
Pone ut errant iussi, subeuntes ordine nati,
Excipiunt flexo poplite quisq; Deum.
Ille dat, & dexteram teneris, dat & oscula natis.
Et placido humanum consecrat ore genus.
Adsidet hinc matri, lachrimis ea squalida fuis,
Effari potuit nil nisi parce Deus.
Parcere se retulit, nec quenquam perdere uelle,
Pectore qui ueniam non dubitante petat.
Et licet ipsorum meritis hoc accidat ipsum,
Ut minus ex animo cedere fata uelint.
Sed tamen ærumnas, omnesq; leuare dolores,
Et mitem miseris omnibus esse patrem.
Talibus adflictæ memorans solatia matri,
Impubem placido conuocat ore gregem.

Stare

Stare iubet grandes, rudiores excipit ulnis,
Plena erat angelicis concio tota choris.
Stabat Abel uultu cœli testatus amorem,
Diuinumq; oculis se genus esse probat.
Huic Deus ut recitet, mandat præcepta parentum;
Incipit hic, linguis cætera turba fauent.
Esse Deum credo, rerum super omnia magnum;
Qui merito nomen mite parentis habet.
A quo principium, natiuaq; semina ducunt,
Omnia, quæ mundi lux spaciosa uidet.
Omnia perpetua qui maiestate gubernat,
Quæ rerum tanta machina mole tenet.
Miraq; proponens nobis discrimina rerum,
Omnia qui possit se docet esse Deum.
Flumina qui cursu procedere, sidera motu,
Omnia qui certis legibus ire iubet.
Qui sua temporibus dedit interualla, uicesq;
Omnibus incolumis rebus ut usus eat.
Qui uarias uires diuersis inserit herbis,
Et uarios letos frugibus ornat agros.
Qui nostris animis uitales indidit ignes,
Exemplum mentis noticiamq; suæ
Tanta quibus ducibus per dona agnoscimus illum;
Perpetuum immensi numen habere Dei.
Heu mihi cur nostri uiolata lege parentes,
Vindictæ irato caussa fuere Deo?
Paruerint illi, quàm nunc pulcherrimus esset;
Humani generis lugubris iste status.

Q

Aeternè

Aeternæ fuerat fiducia quantæ salutis,
Quiq; Deum cupiat noscere, quantus amor?
Ante Deum læti uita fruere mur, & omnis
Conscijs a puido cederet ore pudor.
Non aliqua adfectus fraudaret iniqua uoluptas,
Expers uita omnis criminis ista foret,
Verum labe carent quæ sunt diuinitus orta,
Ipse Satan structor criminis huius erat.
Illius ab quanta est, quamq; inuidiosa tyrannis,
Seuiciæ finem non habet ille suæ.
Seuiat usq; licet, certe est robustior illa,
Et finem pietas nescit habere Dei.
In solo defixa Deo spes nostra quiescit,
Sponte sua miseris ille recepit opem.
Quos queat æternum meritis adfligere pœnis,
Hos olim immunes maluit esse Deus.
Semini ille dedit nostræ promissa parenti,
Triste quod à nobis auferat omne scelus.
Hoc se non meritis cruciatibus offeret ultro,
Ut pœnas nostra pro leuitate luat,
Et mortem nostram rediuiua morte domabit,
Proq; fide mercem cœlica regna dabit.
Afficiet pœna, longoq; dolore draconem,
Quo suasore parens est mea facta nocens,
Ille fremens, frustra q; furens ingentibus iris,
Insidias odij ponet ubiq; sui.
Et licet insidias uariasq; excogitet artes,
Non animos aliqua supprimet arte pios.

Ergo

Ergo furens odio sæuaq; tyrannide rumpat,
Nos erimus summo turba redempta Deo.
Acceptoq; Dei coalescent pectora uerbo,
Inq; hostem unanimi fœdere bella gerent.
His Deus inspirans diuini numinis auram,
Victrices uires, armaq; iusta dabit.
Et licet hic aliquo mutentur corpora casu,
Et pereant fato membra soluta suo.
Certe animi æternæ lucrantes gaudia uitæ,
Militiæ tantæ præmia iusta ferent.
Talia sic iussus memorat formosus Abelus
Ipse Deus nutu singula uerba probat.
Hec eadem fratres, eadem retulêre sorores.
Ordinis & sensus totius unus erat.
Tum Deus à numero quos norat abesse requirens,
Turba quid à numero cætera dixit, abest?
Eua petens ueniam, subito confessa rubore,
Sordibus his, inquit, splendide parce Deus.
Atq; ita straminibus quantum licet, expedit illos,
Et properat laceras composuisse comas.
Increpat & fraudes, & curam obiurgat inanem.
Et Deus, ad uultus, inquit, adeste meos.
Stans Cain impexos fœno impediante capillos,
Præsentem intorto suspicit ore Deum.
Lacte rigent manicæ, liuent quoq; sordibus ungues,
Immunda gliscunt ora peruncta manu.
Quem Deus aspiciens age tu quoq; rustice dixit,
Imbiberis fidei quæ documenta refer.

Ille diu torquens titubantia guttura, tandem,
Non contexta tamen, sed mutilata refert.
Esse Deum credo, qui mundi conditor huius,
A nobis certa uult ratione coli.
Oblatoq; aris placatur munere, curat
Quos amat, & punit quæ malefacta putat.
Ille quidem in segetes foecundos depluit imbres,
Et liquido cultos rore serenat agros.
An tamen errores, delictaq; nostra remittat,
An facili nostras hauriat aure preces,
Vix scio, perpetua posthanc de luce uidebo,
Extremum cogar claudere quando diem.
Increpat obliquum fidei, temereq; loquentem,
Et iubet hæc certa discreta mente Deus.
Tum uerò uestro quoniam de stemmate mundus
Impleri, populus debet & esse frequens.
Est opus ut populos ratio discernat, & ordo,
Quisquis ut officium norit agatq; suum.
Ut bene diuini seruentur dogmata cultus,
Quæq; mihi iustos uos facit esse, fides.
Est opus in uobis ut sint qui dogmata tractent,
Et doceant animos de pietate rudes.
Ut sua diuersis constet concordia rebus,
Ut placido semper foedere mundus eat.
Est opus ingenuos ut sint qui tradere mores,
Et leges alijs iuraq; sancta queant.
Sic ait, & Setho cum fratre adpellat Abelum,
Et nudum teneras sistit utrumq; comas.
Imponensq;

Imponensq; manus illis, uos consecro reges,
Et sanctum uobis insero numen ait.
Vestrum erit acceptum fidei illustrare nitorem,
Et uerum cultum notitiamq; Dei.
Iura dare, ac leges, patriæ defendere fines,
Pœna arcere malos, pace fouere bonos.
At Cain impatiens, & qui nascentur ab illo,
Agnatæ heredes rusticitatis erunt.
Horum munus erit parere, ac iura timere,
Et uestras leges seruitiumq; pati.
Atq; opera uestra diuinum agnoscere uerbum,
Præcipue hoc illos, uos decet istud opus.
Sic ait, Angelicis concentibus annuit aër,
Harmonicis resonant terra polusq; sonis.
Inde salutata placido sermone parente,
Cœlesti repetit lucidus astra choro.
Historiam ex illo seri meminere nepotes,
Forsan erit uersu nunc quoq; nota meo.

F I N I S.

VVITEBERGAE.
Ex officina typographica
Viti Creutzer.




1708
1709
1710

VITTEBERGA
Ex officina typographica
Vid. Geisler.

24





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red


Magenta

White

3/Color

Black

PITOME
EVIS ET UTILIS
CIPVÆ DOCTRINÆ, QVÆ
locis Theologicis Domi-
philippi Melanthonis de singu-
lis Articulis traditur.



SIME
Exod.

62
38

VVITEBERGAE.

1562.